SEVERINUS M.
SYN. CHIRURG.
1664

RIOLANUS I.
COMPAR. VET.
MEDIC NOVA
1605

COMPARATIO VETERIS MEDICINÆ cum noua, Hipocraticæ cum Hermetica, Dogmaticę cum Spagyrica.

Auctore Ioanne Riolano Fil. Anatom. & Pharm. Professore Regio.

PARISIIS

Ex officina Plantiniana.

Apud Hadrianum Perier in via Iacobæa.

M. D. C V.

REVERENDISSIMO D. D. REGINALDO Belnæo, Archiepiſcopo Senonenſi, Primati Aquitaniæ, magno Franciæ Elemoſinario. I. Riolanus S.

VITA *hominis tota in imitatione poſita eſt, (Antiſtes Reuerendiſſime) infans enim in cunis adhuc vagiens nutricis voces obſeruat, concipit animo, atque tandem interprete lingua enuntiat: ſic i-*

mitando paulatim patrio idiomate discit loqui; Ætate prouectior dum congruè & ornaté loqui expetit, eloquentiæ magistros partim mutos, vt Demosthenem & Ciceronem, partim viua voce cum aliqua nominis celebritate artem benè dicendi profitentes perquirit, ad quorũ imitationem quantum fieri potest sese componat: Traditur pædagogo vt benè viuendi pręceptis instituatur, cuius vita & mores debent illi esse pro regula. Nihil tam persuadet quam virtus ipsa concionatoris, sermo est tantum actionis vmbra: Quo fine historiographi virorum il-

luſtrium geſta referunt in commentarios, niſi vt ea nobis tãquam exemplaria ad imitandũ proponãt? Si quis cupiat belli gloria ſuum nomen poſteritati conſecrare, imperatores illos & belli ſummos duces quos Plutarchus ad imitandum proponit imitetur: Quicumque, inter Philoſophos excellere deſiderat Platonem & Ariſtotelem nocturna diurnáque manu reuoluat, eoſque quantũ poterit imitetur: Vt Medicus arte ſua poſſit de ſuis ciuibus benè mereri, eorumque gratiam inire, plurimũ refert quos imitetur, Dog*maticos an Spagyricos: Dog*

maticorū principes Hippocratem & Galenum, An impiū illum pseudomedicum Chymicorum Monarchā Paracelsum. Oportet enim medicum non tātum esse medendi peritum, sed etiam virum bonum: alioquin fiet veneficus, occidet impunè. Potestne esse vir bonus qui scripto publico Cacodæmonem pro magistro agnoscit, omnesque suos discipulos ad quærendum talem magistrum cohortatur? Estne verisimile spiritum mendacem, generis humani capitalem hostem, communicasse Paracelso salutaria remedia? Potestne arbor pestilens salutares

fructus producere? Natura Plãtarum & animalium multitudinem nobis suggerit, ex quibus veluti de penu Alimenta & Medicamenta promamus: quæ necessitas est in locis inferis magno cum labore mineralia quærere ad benè medendum? Tenebriones spiritus mineralium custodes dolebãt sua negligi, saltem pro externis tãtum & admouendis à Dogmaticis vsurpari: Proinde ea per os assumenda, ministro Paracelso, quibusdã nouitatis potius quam veritatis studiosis persuaserũt. Hæc controuersia (Præsul dignissime) tanti est ad vitam humanam

momenti, tantum refert quos vitæ & sanitatis custodes admittat Magistratus, Dogmaticos an Hermeticos, vt ex eo solo, vel maximè, ciuium omnium sanitas pendere videatur Itaque tua potius gratiâ & fauore, quam vllo meo merito ad Anatomes & Pharmaciæ professionem euectus, nihil prius habui quam summos medendi duces & clarissima duo Medicinæ lumina, Hippocratem & Galenũ meis auditoribus ad imitandum proponere: quod vt facilius meis auditoribus persuaderem, statim initio meæ professionis vtramque Medi-

cinam è ſuggeſtu Regio publicè comparaui. Hanc comparationem tibi nuncupo, quia canæ veritatis fuiſti ſemper veluti tutelaris Deus, quo nomine tu es & eris in poſterum viris bonis & doctis chariſſimus.

COMPARATIO VETERIS MEDICINÆ cum noua, Hipocraticæ cum Hermetica, Dogmaticæ cum Spagyrica.

Sectione prima vtraque Physiologia comparatur.

Quod Alchymia ſit vera Philoſophia veteribus ignota.

CAPVT I.

AEGYPTII, qui primi liberalium artium authores perhibentur, Iſidem ſeu ſapientiam tanquam maiorum gentium Deam adorabant, cuius pedibus ſubſcriptum erat.

NEMO MORTALIS MEVM PEPLVM ADHVC DETEXIT.

Hoc peplum quo teguntur arcana naturæ nihil eſt aliud quã denſitas materiæ, quæ ſuo ſinu celat formas: Eſſentia enim, & ſumma rei cuiuſque perfectio in intimis materię viſceribus recondita deliteſcit: Illic πανσπερμία, formarum omniũ primum ſeminarium, hinc veteres formas erui volebãt cum de potentia materię eas excitari aſſerebant: Hoc innuebat Heſiodus cũ deos ipſos è Chao primum erupiſſe affirmabat: Illic velut in profundo puteo veritatẽ latere Democritus aſſerebat: quæ detracto velo, hoc eſt ab omni impuritate materiæ liberata, in apertam lucem educitur: Deſinant ergo Stoici conqueri de naturæ noſtræ imbecillitate,

Deũque accuſare quod phęnómena tantum nobis obuerſentur, ſuperficies rerum duntaxat intueamur, abſcondita & à noſtris ſenſibus ſemota eſſentia: Quid enim inquiunt in obiectis rebus videmus, præter colorem, figuram, & magnitudinem? Accidẽtibus ſolis interioris formę vim & eſſentiam conijcimus, via valde lubrica & fallaci, ſenſus enim ſunt nuntij parum fideles. Accidentia partim ob infinitatem, partim ob inconſtantiam ſunt incomprehenſibilia, proinde ſub humanam ſciẽtiam non cadunt. Deus Deorum nectare ſuæ ſapientiæ tantũ

Inſperſit nobis labia areſcẽte palato.

Affulſit tandem lux quæ tenebras iſtas diſcuſſit, Alchymia Iſidi velum detraxit, detracto putamine & nucleo edendam nucem ex-

hibet: formas quæ hactenus delituerant profert in apertum. Desinant posthac Platonici cõqueri, quòd Deus sapientiam thesauris suis concluserit, sibique vni reseruarit; dæmonibus opinionem rectam, nobis verò lubricã tantùm & ancipitem concesserit. Sapientiores erãt Gnostici qui se in deos euadere posse hoc argumento gloriabantur. Tota essẽtia & perfectio Dei in sapiendo est. Atqui contemplando & rerũ causas diligenter scrutando hanc sapiẽtiã homo potest assequi: Potest igitur philosophãdo euadere in Deum, naturam humanam diuinę permutare. Rerum omniũ veræ causę sunt, forma, finis, & efficiens: forma & finis reipsa sũt vnum, sola differunt ratione, forma autẽ est efficiens: definitur enim efficiens id à quo initiũ mo-

tus, hoc autem poteſtne eſſe aliud, quã forma: Vt materia perpeſſionis, ita forma actionis omnis eſt cauſa: in ſingulis quæ fiunt potentia pręcedit actum, quia nihil fit quod fieri non poſſit. At re vniuerſim ſpectata actus præcedit potentiam, forma materiã, quia ab aliquo actu exiſtente neceſſe eſt potentiam deduci in actum: Actus iſte potentiæ promotor forma eſt phyſica, aut metaphyſica. Hunc actum quantumuis latentem Chymici ſuo Vulcano detegunt, necnon viſendum & palpandum præbent detracto velo, hoc eſt eſſentiam ab omni materię impuritate ſecernẽdo: Opera naturæ Sileni sũt Alcibiadis, extrorſum turpia, introrſum pulchra: ſub ſordido pallio latet ſapientia: Veritas in puteo, hoc eſt in materiæ gremio quærenda. V-

niones in ſterquilinio. Niſi V
canus eſſet claudus, cogeret
que inniti baculo, aſcenderet
cœlum, vbi de Aſtris eſſentia
quintã eliceret & litẽ inter Phil
ſophos tandiu diſceptatam c
rimeret, Si natura, An anima r
gat aſtra: Si anima, aſſiſtenſnè, a
informans intelligentia: Qui
enim non poteſt iſte artium om
nium parens? eſtnẽ artifex qui i
lius non egeat opera?

QVOD ALCHYMIA TITVLO TENVS SIT *sapientia, reuera imaginationis figmentum, cum nulla ars bonum à malo, id est formam à materia possit separare.*

CAPVT II.

MATERIA appetit formam vt res turpis pulchritudinem, quicquid enim habet perfectionis, id totũ acceptũ debet formæ: Per se cum sit informis, rudis, impolita, formatur & in certam rerum speciẽ adducitur pręsentiâ formę. Hæc sola facit vt vnum quodque sit id quod est; Homo est homo per animam rationalem, Bellua per sentientem, Planta per vegetantem: Hinc quidam duo prima

rerum principia conſtituerunt, Bonũ & malum, Alij finitum & infinitum, alij lucem & tenebras, alij Deũ & Cacodæmonem, hunc mali, illum boni authorem: Hinc Paracelſi paradoxũ: Omni bono immixtum eſſe malum quod igne ſeparatur: malum interpretatur materiam principium diuiſionis multitudinis, confuſionis, infinitatis, denique maleficum.

Veterum phyſicorum vt Democriti & Empedoclis lõgè alia fuit opinio: Illi enim nõ modo principatum deferebant materiæ, ſed ſolam loco principij habendam eſſe hoc argumento demonſtrabant: Id ſolum pro principio haberi debet quod manet (Nam Ariſtotele conſentiente) principia manere oportet: Atqui ſola materia manet, omnes formę naturales vt cõnaſcuntur ita commo-

riuntur materiæ: ſola mens vt extrinſecus accedit, ita ſola ſuperſtes manet, quæ idcirco inter formas metaphyſicas potius referenda eſt quam phyſicas: Faciamus animal aut plantam ſenio vel violentia interire, eſſentia illa qua planta vegetabat, nutriebatur & augebatur, qua animal ſentiebat & mouebatur loco, quò abijt? extincta eſt non aliter quam natiuus calor qui illi miniſtrabat: niſi malis animæ mundi reuniri eo modo quo tandem ſingulæ elementorũ portiones ſuis totis. Cũ igitur ſola materia maneat vaneſcente forma: quis dubitet ſolam materiam principii nomen mereri?

Ariſtoteles reſpondet manere τὸ εἶδος ſpeciem, at ſpecies eſt ens logicum, notionale, mentale: liceat mihi vti caſtrenſibus ver-

bis Physicæ militię, quæstio aute
erat de Physica, reali & singulari
rei cuiusque forma: quæ si dispa-
reat sola materia permanente
frustra illam quæritis in materię
visceribus, Quæ ostenditis Ma-
gisteria, Tincturas, sales, olea
sunt portiones materię, quas Vul-
canus rerum artificialium pater
in varias istas formas transmuta-
uit, vt patet exemplo stibij quod
in mille formas peritiores chymi-
ci igne flagrantissimo conuertũt
ex eo eliciunt tincturam, regulum
stellatum, Aquam, oleum, vitrũ,
albos & rubros flores, crocum,
calcem albam & rubram, deni-
que si debito igne vrgeatur varios
producit colores: Vnde hęc nisi
à materia quam ignis in istas for-
mas transformauit? Proinde si
materia sit malum rebus omni-
bus adiunctum, vt affirmat Chymi

corum Monarcha, ſpagyrica remedia iam per ſe naturaque ſua mala, quia partes mali, ignis violentia redduntur deteriora: Antimonium exempli gratia crudum vix purgat etiam pondere drachmarum duarum, nec eius vitrum quod fit prima fuſione purgat, hanc vim acquirit cum decies duodecieſuè euaporauit: tum illud vitrum vt & flores trium granorum pondere ſuperpurgãt. Vndè tanta acceſſit violentia ſi non ab igne arte veſtra parato? Atqui omne violẽtum naturæ inimicum. Age verò, quam ſit vanus veſter conatus ſubtiliùs demonſtremus.

Ariſtoteles definit materiam principium ex quo, efficiens à quo res fit. Atqui à cœlo ex quatuor elementis fiunt hîc omnia. Itaque cœlum patris, elementa

matris: cœlum agentis, elementa materiæ ſeu patientis principij rationem obtinent: Quatuor elemẽtorum miſtione efficit miſta omnia, miſtionem ſequitur tẽperies, (concentus miſtionis) tẽperiem natura, quæ ſi non ſit ipſamet temperies, ſaltem ſine temperie manet otioſa, quia non agit niſi in materia certo modo tẽperata. Violetur alicuius inſtrumenti, vt oculi, temperamentũ illius actio peruertetur, aut omninò non fiet, aut malè, hoc eſt imperfectè vel deprauatè fiet: Eſt inſtrumentum ſine quo non: Atqui quoties miſtum in ſua principia, ſales & ſulphura, aut in eſſentias diſſoluitis, miſtionis concentum diruitis, quo ſublato perit aut otiatur forma, cum forma omnes vires, & ſpecificæ proprietates formam conſequentes abeunt:

Actiones igitur quas edunt essentiæ, etiamsi sint naturales, tamen non possunt esse eæ, quæ & quales sunt à natura toti congenitæ, quia sublata causa perit effectus, sublato fundamento ruunt quę superstruuntur: Ergo frustrà quæritis essentiam naturaliũ actionum causam, cuius fundamentum vos ipsi diruitis. Nam quæ ostẽditis, sales, principia, sulphura, sunt factitia: Aliam enim formam à natiua ab igne accepeperunt. Illa non est à natura insita, sed arte quæsita. Quod ostẽditis pro quinta essentia, est materia à calore tenuata, in easque substantias transmutata, quæ cùm tangi, videri, vel gustari possint sunt corpora mista, non puræ & simplices essentiæ. Fallit igitur Alchymia dùm ostendit malum pro bono, mixtum pro simplicj,

materiam calore tenuatam pro forma, vel simplicj & spiritualj essentia: Fallit etiã quia pollicetur, quod fierj non potest, formæ, seu quintæ essentiæ separationem. Ille ipse serpens, qui primos parentes fascinauit, & hac inani spe sapientiæ fefellit, *Eritis sicut Dij sciẽtes bonum & malum*, Chymicos elusit, promittendo egregijs sufflonibus sapientiam, hoc est primæ causæ, seu formæ cognitionem: non intellectualem, qualem promittunt veri Philosophi, sed sensibilem. Formas quas Philosophi docent, materiæ quidem necessariò coniunctas, attamen immateriales, proindè inuisibiles & intractabiles, prȩstigiator non vidẽdas modo exhibet, & palpandas, sed etiam gustãdas. Caueat ab erosione si sapit, quisquis tales essentias gustabit: Nam etiam ligna & lapi-

des exedunt, tantùm abest vt parcant linguæ, & pulpis digitorum. Ad hęc venena propriè dicta, quæ sua essentia non manifesta qualitate sunt deleteria, necnon venenata animalia, vt scorpius & vipera, nocent potius formâ quam materiâ: venenata eorum qualitas consistit in spiritu, benigna materia est Alexiterium, malignæ & venenatæ formæ: Materialis enim scorpius, spiritualj suo veneno medetur, si illum aut viperam admoueas suo morsui, veneno succurres. Itaque spiritus qui ab illis extrahetur, venenum erit, quod separabitur tanquam heterogenes, erit Alexipharmacũ. Iis similes sunt essẽtiæ metallorum, præsertim purgatrices, quas malus genius docuit Paracelsum secernere in perniciem generis

generis humanj, ſpiritus qui per ſe, naturâque ſuâ ſunt maleficj, ignis violentiâ redduntur deteriores.

Fefellit illos ſerpẽs altero fallaciſſimo fundamento, quòd vera rej cuiuſque eſſentia in intimis materiæ viſceribus, velutj in profundo puteo deliteſcat, vndè eruitur ignis operâ detracto velo: neſciunt formam eſſe in toto, & in qualibet parte totam, non eſſe portionem miſti quæ non ſit miſta. Affirmant ſecerni, ac ſi in parte mixti aliqua ſeorſim exiſtat, quas tragedias peperit philoſophiæ ignoratio.

ALCHYMIÆ DEFINITIO DILIGENTIùs examinatur.

CAPVT III.

NON poteſt Ars eſſe vera, cuius principia sunt falſa, quia ex falſis principijs non poſſunt ducj concluſiones veræ: Atqui definitiones ſunt prima cuiuſque artis principia, proindè ſi ipſiuſmet artis definitio ſit falſa, vix poterũt illius præceptiones eſſe veræ. Alchymia ſua definitione pollicetur purum ab impuro, potiſſimùm à metallis & metallicis ſeparare: Atqui lapides & metalla ſunt tota homogenea, conſtant partibus omnibus eiuſdem nominis & rationis, quęlibet aurj parti-

cula quantumuis exigua eſt aurum, non minùs quàm ſcintillula ignis, aut guttula aqua: Si ſit particularum omnium vna eademque eſſentia, poteſtne vna eſſe pura altera impura? Ignis cogit homogenea, ſeparat ſi quæ ſint heterogenea, vt cohærentes auro feſtucas. At totum aurum eſt homogenes, vndique conflatum elementis eodem modo temperatis: Quo iure igitur in duas partes diuidetur? vnam quæ habeat rationem boni, alteram quæ mali? vnam venenatam, alteram ſalutarem? aut cur hæc potius, quàm illa particula, quinta aurj eſſentia nominatur?

Perge: Definitiones artium debent conſtare ſubiecto & fine. Alchymiæ ſubiectum quod? corpus phyſicum, vegetale, animale, aut minerale: In his enim omni-

bus verſatur. Quis finis? ſecretio puri ab impuro. Cui bono ſecernitur ? quieſcitne Chymicus in ſecretione puri, vt Phyſicus in cognitione cauſarum naturalium? An deſtinat ſecretas eſſentias fini meliori, vt Medicus ſua remedia homini, An vt medicamenta? Medicus enim hominem ſanum conſeruat alimento, ægrum ſanat medicamento. Non videntur eſſentiæ conferre ſanis vt alimenta. Nam video quotidie Chymicos vti cibis ſolidis & integris. Illi vt nos ſecretionem puri ab impuro committunt naturæ, quæ eſt Alchymiæ peritior quam artifex quiuis. Ponamus igitur eſſentias inutiles eſſe nutritioni : Atqui diæta eſt præcipua pars medicinę, qua ſola multi veteres medici medebantur. Aſclepiades à medicamentis abhorrebat conten-

tus diæta, cuius opinionem quia posteritas reprobauit constituamus essentias Chymicas prodesse vt medicamenta, non vt alimẽta; Atqui medicamẽta sunt alimẽtis & venenis intericcta. Neque enim naturã corrũpunt vt venena, neque tamen nutriunt vt alimenta, sed illam iuuant alterando, aut noxiũ vacuando: Medicamenta, tam purgantia, quam alterantia iudicantur præstantiora, quæ naturæ nostræ sunt familiariora, & ad alimenti naturam propius accedunt. A maioribus nostris iudicatum est infœlix Hippocratis sæculum, quòd caruerit benignis illis remedijs, quæ fœlix Arabia nobis impertiuit. Quis furor inuentis frugibus vescj glande? Non tantum malîgna præferre benignis, vt Scammonium Rheo, sed Antimonio, & Præcipitato, e-

tiã in leuiorib' morbis potius vti, quam manna, caſſia, agarico? Turbith aut Rheum minerale preferre vero & naturalj? Extractum ellebori, quamuis ingratiſſimũ & vehementiſſimum, melancholicis potius quam decoctum præſcribere? Vitio malignitatis humanæ noua expeti, vetera contemni ſolent.

IGNIS ARTIFICIALIS COMPARATVR cum Naturali, Opifex operum artificialium cum Opifice rerum Naturalium.

CAPVT IIII.

IGNIS tres ſunt ſpecies, lux, flamma, & carbo. Lux eſt ignis lucens non vrens; Carbo vrens, non lucens; Flamma vrens, & lucens. Primo modo oculi dicuntur in Timæo igneæ naturæ: Spiritus viſiuus eſt igneus, quia lucidus, lucet ſed non vrit. Talis eſt ignis qui ſententia Peripateticorum cœlitùs deſcendit ad generationem mixtorum & conſeruationem vniuerſi: Sol enim cum homine generat hominem, quia

homo contribuit ſemen, ſol genitorem ſpiritum, tenuem & calidam illam eſſentiam cui inſidet facultas cōformatrix, cuius calor me iudice non tantum analogus cœleſti, ſed etiam cœleſtis. Idem calor à ſe genitū opus nutritione conſeruat: Eius enim eſt ſeruare, cuius fuit generare. Vita iſtius caloris permanſione definitur, eiuſdem priuatione mors: proindè calor qui poſt mortem permanet in miſtis, & miſtorum partibus, videtur elementaris; Nā duo ignes concurrunt ad generationem viuentium, cœleſtis vt opifex, elementaris vt materia, qui à ſuis contrariis, frigido & humido (eſt enim calidus ſiccus) iuſtè comtēperatus cœleſti mancipatur. Miniſterio cœleſtis plantæ & animalia nutriuntur, creſcunt, & ſimile procreant, quo extincto

mox iſtæ fũctiones omnes diſpa-
rent: quę ſuperſunt vires & pro-
prietates, pendent à victrice qua-
litate, qualiſcumque illa in mi-
ſtione vicerit, vt frigus in lactuca,
calor in pipere, quæ ſola videntur
ineſſe actu; cæteræ, quia nullam
edunt actionem ſenſibilem, tan-
tùm potentiâ. Empedocles pu-
tabat ſimile dignoſci ſimili, cœle-
ſtia cœleſti ſpiritu, elementaria
elementis, cuius opinioni fa-
uit Paracelſus. Verum inquit A-
riſtoteles, vt intellectus ſi habe-
ret aliquam qualitatem congeni-
tam non poſſet omnia cognoſce-
re, vtque oculus aliquo colore ſuf-
fuſus, quæcumque obuerſantur,
eiuſdem coloris eſſe putat, lin-
gua perfuſa bile, exiſtimat omnia
eſſe amara, ita ſi materia haberet
aliquam formam eſſentialem, pu-
ta ſpiritum mundi, non eſſet om-

ũ peræquè capax. Idem Empe-
ocles ignem actionum omniũ
aturalium primum autorem per-
ibebat : At inquit Ariſtoteles,
nis in agendo nullum tenet mo-
um, ſeſe in immenſum conatur
nplificare, obiectum pabulum
ne modo abſumit, conatur inſe
ansformare omnia, igneaque ef-
cere, ideo πᾶν φάγον πῦρ, edax
erum omnium dicitur, quia con-
cit omnia, nec ceſſat vrere, quan
iu habet quod agat: proinde re-
endus fuit à cauſa meliore, ſeruit
nimæ vt inſtrumentum artifici:
Anima vtitur calore natiuo, vt pi-
tor & faber ferrarius artificiali.
Cuius duæ ſunt primæ differentię,
lamma, & carbo ardens, vterque
eiuſdem naturæ : Vulcanus fin-
gitur à Poëtis niti ſcipione, quia
non poteſt ignis abſque pabulo
ſubſiſtere : Dicitur artifex ſtruxiſ-

ſe & accendiſſe ignem in camin
nõ natura:illa iniuſtè diceretur
foco ignem generaſſe. Qui attr
tu ſilicis & chalybis ſcintillam ex
citat, ipſe arte ignem effeciſſe d
citur, non natura, Ipſe motus vio
lentia inflammauit interiectur
aërem, non natura; candela ac
cenſa, eſt ſubiectum artificial
ignis artificialis, nempe flam
mæ, Carboni, ligno, paleæ, non e
congenitus, ſed aſcititius calor
naturalis forma conſeruat ſuum
ſubiectum, At calor carbonem
lignum, paleam vrit, ergo non
eſt naturalis, ſed aliena forma.

Calor natiuus præter inſtitutum
ſuũ ſubiectũ abſumit: Alienus v
febrilis, primo inſtituto ſubie
ctum ſuum, qualecunque fuerit
conatur deſtruere. Sit naturalis
calor, tamen neque ligno, neque
paleæ naturalis eſt: habent enim

ſum naturalem, qui ab externo
do deſtruitur, non aliter quàm
atiuus ab immoderato.

Ariſtoteles non putat calorem
œleſtem poſſe regere viuentia,
diungit illi moderatorẽ, qui illius
ſtat impetum & violentiam;
uam docto igitur rectore eget
rtificialis? Si piſtor furnum plùs
ut minùs calefecerit quam con-
eniat, efficiet panem ſemicoctũ,
ut vſtum. Si Chymicus paulò
itenſiore igne aut remiſſiore
tatur; vel optatum finem non
ſſequetur, vel opus reddet cali-
ius, acrius, vel ab igne paulò in-
enſiore quę perquiritur ſpiri-
oſa eſſentia euaneſcet: in Chy-
icis enim, vt in magicis myſte-
is, qui cadit à ſyllaba, cadit
auſa, qui peccat in minimo fit
mnium reus, Igne paulo inten-

ſiore, vel remiſſiore peruertitu[r] totum opus.

Ariſtoteles ignis ardorem à ſuo contrario nempe aqua obtund[i] exiſtimat, & ad temperiem reduci in generatione miſtorum, qui alioquin fureret & incandeſceret: At Chymici non tantum iſtud caloris frænum, nempe phlegma ſeparant, ſed etiam ignem igni addunt, ſuo Vulcano omnia reddunt ignea. Quid enim ſunt ſpiritus præſertim minerales, quam calidiſſimæ eſſentiæ ex materia vi caloris attenuata procreatæ? poteſtne ignis qui non ſit ardentiſſimus de ſubiectis tã duris quintã eſſentiã elicere? Nil tam ſimile naturę, quàm quod naturale. Vtimur alimẽtis, & medicamẽtis arte quidem apparatis, ſed eo modo quo à natura temperantur: pani & vino relinquimus ſuam tem-

periem; in medicamentis vim & proprietatem naturalem, calorem, qualem natura dedit: quem Vulcanus Chymicus efficit igneum. At cùm primum natiuus calor excedit, fit febrilis, destructor, non seruator: assat, nō elixat, putrefacit, corrumpit: si deficit, malè coquit. Inde cruditas infinitorum morborum parens; Plurima venena impunè sumi possunt maiore dosi, quàm Chymicorum essentiæ præsertim purgatrices quæ à mineralibus extrahuntur, propter exuperantiam caloris, & adiunctam cacoëthiam, quibus causis Dogmaticis solent esse suspectæ. In mole tam exigua vix potest purgandi tanta vis inesse, quæ non sit violenta, hoc enim venenorum magis quàm alimentorum, aut medicamentorum pro-

prium eſt parua doſi multum poſ-
ſe, vt loquitur Libauius aduer-
ſus Grammanum. Vehementio-
ra cathartica ſi dentur ſanis, col-
liquant carnes; quia enim non ha-
bent in quo agant, vim ſuam in
naturam ipſam conuertunt. De
Alexipharmacis idem ſentien-
dum eſt: Elephantici enim appa-
ratam viperam vtiliter edunt, cæ-
teri cum certo vitæ diſcrimine.

SINT-NE SAL, SVLPHVR, ET ARGENtum viuum principia rerum naturalium constitutiua.

CAPVT V.

ID ex quo insito & manente res fit, illius materia est, Atqui cœlestis calor ex quatuor elementis generat hîc omnia, ergo quatuor elementa sunt proxima materia sublunarium: Verùm in quibusdam manifestè omnia concurrunt, vt ad generationem viuentium, in aliis obscuriùs, in quibus vnum ad sensum prædominatur, vt Aqua in pluuia, Aer in vento, Ignis in Cometa, Terra in bolo & terra sigillata, quamuis enim sint corpora

mista, tamen sunt imperfectè mista, quia manifestè vnum exuperat. Cætera non tam materialiter quam formaliter concurrunt, nec tam substãtiam, quam qualitatem contribuunt: sic apud Aristotelem sanguis cõsistentiâ est aqueus energiâ igneus: sic ab eodem vinum substantiâ aqueum, vi igneum dicitur: Fibrę quæ colaturâ deprehenduntur inesse sanguini, manifestè demonstrãt illum esse terrestrem, sed quia primò obtutu non sunt conspicuæ, aqueus potius quam terrestris iudicatur: idem de vino, pomaceo & pyraceo dixeris, deponunt enim fæces. Singuli humores, pituita, & vtraque bilis sunt corpora mista; verum in pituita aqua, in melancholia terra, in bile ignis dominatur. Semen verò ratione spiritus est igneum, ratione verò spumæ pin-

guis, aereum magis, quam terrestre, aut aqueum: In lapidibus terra, in metallis fusis aqua, in solidis terra ad sensum dominatur. Omnia simul manifestè conueniunt ad animalium perfectiorum constitutionem: Nam si spectes generationis duo coniuncta & sensibilia principia, semen igneũ aereum, & sanguinem aqueum terrestrẽ, quid erit euidentius? Si materno sãguine, ex quo primũ fit & nutritur fœtus in vtero, si illo alimẽtario, qui in adultis ex alimẽto generatur ad illius restaurationem, insint quatuor humores qui quatuor elemẽtis proportione respõdẽt, Bilis igni, Pituita aquę, Melancholicus succus terrę, Sanguis aeri; quis dubitet quatuor elemẽta, si non immediatè, saltem mediatè esse materiã mistorum potius quàm Salẽ, Sulphur, & Mer-

curium? Cum ipſo ſenſu teſtatu
habeamus, miſta cōſtare quatu
elementis, ſanguinea quatuor h
moribus, quos continēt ſemen
ſanguis, quis furor fingere no
neque ſenſu neque ratione co
probata? vnus ex geniis ten
brionibus qui habitant in min
ris, quæ erant mineralium pr
pria, ad animalia & plantas tra
ſtulit miniſtro vtens Paracel
Quis enim prudens dixerit h
minem potius oriri ex ſale, ſulph
re, & mercurio, quàm ex ſen
ne & materno ſanguine? Quis n
demens credat triticum proiec
in terram producere ſibi ſim
ex ſale, ſulphure, & argento viu
Iis nutrimur quibus conſtamu
& contra. Sumuſne ita plumb
vt exiſtimemus nos nutriri trib
iſtis principiis, non alimentar
ſanguine, quem ex chylo hep

continenter efficit, vt materni ia-
cturam resarciat? Quid si negem
argentum viuum esse principium
metallorum? tantum abest vt sit
animalium & plantarum. Concre-
scere enim necesse est, vt cedat
in substantiam metalli; Atqui, au-
ctore Aristotele, propterea quod
aereum potius est, quam aqueum,
non concrescit: Item quantum-
uis exquisitè permisceatur, præ-
cipitatur tamen & reunitur vige-
bis. Naturaliter occidunt om-
nia in ea ex quibus orta sunt; occi-
duntnè opera naturæ in hæc tria?
Nemo sanæ mentis existimabit
hæc tria principia corpus perfe-
ctè mistum constituere, siue eo-
rum qualitatem, siue substantiam
consideret, quia qualitatibus in-
ter se non pugnant; quæ qualita-
tum discordia ad alterationem &
permistionem necessaria est.

Si verè Paracelsus scripserit pri-
ma coctione secerni salem, secun-
da sulphur, retineri tantum mer-
curium ad nutritionē; cur illo au-
tore tria ad generationem anima-
lium & plantarum coeunt? Obij-
ciunt nos qualitatum non substan-
tiarū nominibus principia nostra
nominare; Absurdum autē qua-
litates, cum sint accidentia, con-
stituere principia substantiarum.
Empedocles enim ab Aristotele
in Metaphys. reprehenditur,
quòd concordiam & discordiam
diceret principia rerum natura-
lium, cùm sint accidentia; acci-
dens autem non possit esse prin-
cipium substantiæ, quia ex non
substantia fieri non potest sub-
stantia: Mille accidētia simul iun-
cta non efficient vnam substan-
tiam. Respondeo qualitates quas-
dam esse abstractas, alias concre-

as: concretis ſubiectum cum qualitate ſimul includi, non enim refert ſi primum calidum dixeris an ignem, primum frigidum an aquam. Cur ergo malunt Medici primarum quatuor qualitatũ cõcretis nominibus, Calido, Frigido, Humido, Sicco, principia rerum phyſicarum communia deſignare, quam quatuor elementis? Quia elementa non miſcentur ſecundum ſubſtantias, ſed ſecundum qualitates; miſcentur enim agendo viciſſim & repatiendo: Agunt autem & repatiuntur, quia contraria, non ſunt contraria ratione ſubſtãtiæ, ſed qualitatum. Itaque quatuor elementa, concretis primarum qualitatum nominibus appellata, ſunt coniuncta, & ſenſibilis mixtorum omnium materia, Semen & menſtruum ſanguineorũ propria: quo

ſenſu ſcripſit Hippocrates miſta
conſtare duobus principiis, Cali-
do & Humido; illo vt efficiente,
hoc vt materia. Excuſant quidam
Paracelſũ, quòd bilem ſulphur
nominarit, humorem terreſtrem
ſalem; Si rem eandem deſigna-
uit, cur nomina immutauit? Vi-
uendum quidem moribus anti-
quis, ſed præſentibus verbis lo-
quẽdum eſt. Verba vt numiſmata
ab vſu vim & valorem accipiunt:
Cũ res ſatis cognoſcerẽtur ſub no-
minibus iã ab annis bis mille rece-
ptis, quæ neceſſitas erat nomina
mineralium ad animalia transfer-
re? Princeps tenebrarum lucem
quam conſueta vocabula affere-
bant medicinæ conatus eſt non
tantum rerum, ſed verborum no-
uitate extinguere: Galenus vſi-
tatis nominibus vtendũ eſſe mo-
net, maluitque ſolœciſmum com-

mittere, quam obſcurè & ænigmaticè loqui.

ANATOMES CHYMICÆ CVM DOGMAtica comparatio.

CAPVT VI.

NOn tantum Medicus debet confirmare ſua, ſed etiam aliena refellere: Diſputatione enim veritas elicitur. Anatome eſt Phyſiologiæ pars præcipua, quia Andabatarũ more pugnat cũ hoſte, qui partem affectam non nouit: Quomodo topica admouebit qui ignorat ſedẽ morbi, aut quomodo ea quæ ad partem afflictam ducunt vim purgatricem, vt hepatica ad hepar ; ſplenica ad lienem præſcribet, qui neſcit quæ pars laboret? Quomodo intelliget ſi per ſe an per

an per consensum afficiatur, & cu
parti, vicinia, an operis aut vaso
rum societate consentiat, qui dis
sectionem artificialem cadaueri
in minimas vsque particulas non
tantum ex libris, sed etiã αὐτοψία
non norit?

Itaque cum ad benè medendũ plurimum referat quam Anatomen sequamur, Anatomicorum sectas proponam, vt falsam & vmbratilem fugiamus, veram & legitimam amplectamur. Duæ olim insignes Anatomicorum sectæ floruerunt, vna Empiricorum, altera Dogmaticorum. Empirici nullum sectionis artificium adhibebant, fortuiti vulneris duntaxat occasione vtebantur ad partium occultarum inspectionem, cuiusmodi Anatomen Galenus vulnerariam speculationem θέαν τραυματικὴν, & Anatomen κατὰ

περίπτωσιν appellare ſolet, quæ cum fortuita ſit & ſubcutanea tantũ, non interranea penetret, in artem non cadit, propterea exploditur à Galeno, eamque vocat prolixum nugamentum, ſimile capris, quæ iuncis acutis cõpungũtur. Dogmatici adhibito ſtudio, & ex profeſſo corpora ſecabant, eorumque ſingulas partes diligẽter inquirebant, in quibus ſubſtantiam, numerum, magnitudinẽ, ſitum, conformationem, & cum alijs communionem obſeruabãt, vt ex his latentium morborum ſedes & cauſas intelligerent, & accommodata remedia præſcriberent, quam Anatomen veri medici, qui doctrinam Hippocratis & Galeni ſectantur retinuerunt.

Chymici tamen hanc Anatomen vt horrendam lanienã, theatricam carnificinam reſpuunt, tan-

tum abeſt vt ad illius ſtudium ſuos cohortentur: Excogitarunt nouã & ad hunc diem inauditam Anatomen, quam formalem & ſpiritualem vocant, non materialem: viuam non mortuam, eſſatam nõ localem illam quæ cuiuſque partis ſitum & conformationem demõſtrat. Hominis eſſentiã non oſtendit in homine, ſed extra hominẽ, in vniuerſi partibus, præſertim in mineralibus. Hæc Anatome non eſt diſſectio cadaueris, ſed diſſolutio metallorum: Quid autem eſt mixtum in ſua principia reſoluere ſi non eſt corrumpere, & ex naturali efficere artificiale? In Cupro oſtendunt Anatomiam iecoris, quia detracto velo illius eſſẽtiam Vulcanus detegit, quæ eſt iecur non corporeum & materiale, ſed eſſentificatum: In Cupro, inquã, latet iecur eſſatum, ſi mauis, for-

ma, vis, & essentia iecoris, quæ propter familiaritatē naturę, omnibus illius morbis similaribus, organicis & communibus medetur; Quæ enim specifica proprietate cōueniunt, promiscuè morbis omnibus eius partis subueniunt, cum qua maiorem habent substantiæ similitudinem. Pari ratione in Argento latet Cerebrum, in Auro Cor essatum, possisque dicere Argentum Cerebrum minerale, vicissimque cerebrum Argentum animale: Cuprum iecur minerale, iecur verò cuprum animale. Suntnè vnquam audita talia opinionū portenta? videntur tamen verisimili aliquo niti fundamento: Homo enim, inquiunt, idcirco dicitur compendium vniuersi, quod omnia quodammodo complectatur; cúmque natura illi destinarit omnia, probabile est quædā creas-

ſe, quæ non tantum illi nutriendo
ſeruirent, dùm ſanus degit, ſed e-
tiam quæ illi valetudinario mede-
rentur : Hepati laboranti Hepa-
tica, cerebro cephalica, cordi
cardiaca : hepati autem malè af-
fecto materia non ſuccurrit, ſed
ſpiritus, in quo tota rei cuiuſque
energia conſiſtit : Proindè fallun-
tur Dogmatici cum appellant ie-
coraria chicorium, ſcariolam, A-
grimoniã, paſſulas. Materia, cùm
ſit expers omnis actionis, poteſt-
nè ſanare? ſpiritus, omnis impul-
ſionis, ſi non primi auctores, ſal-
tem ſunt miniſtri, propterea ſpiri-
talis eſſentia elicienda eſt ab his,
quæ cum parte afflicta maiorem
habent affinitatem, quæ admota
vel aſſumpta depellat morbum.

Ecce nouæ Anatomes funda-
mentum, quod etiamſi præſe ferat
ſpeciem quandam veri, reuera ta-

men eſt fallaciſſimum. Nam iſta ſubſtantiæ ſimilitudo, cur potius à mineralibus petitur, quæ à noſtra natura abſunt longiſſime? Si ſubſtantię ſimilitudo quęritur, poteſtnè eſſe maior, quam pulmonum cæterorum animalium cum pulmonibus hominis, hepatum cum hepate? Si ſola eſſentia quæratur relicta materia, cur non elicitur potius à partibus eiuſdem nominis & rationis? Homo idcirco compẽdium vniuerſi perhibetur, quod mundus nihil ſit quàm cõpages cœli & elementorum, quæ omnia ad hominis conſtitutionẽ cõcurrunt: Anima enim eſt cœleſtis, corpus quatuor elementorum miſtione temperatum: non eſt neceſſe ſingulis partibus aliquid analogiâ reſpondere, & ſi neceſſe eſſet, illud analogum potius in animalibus & plantis, quàm in mine-

ralibus eſſet perquirendum. Quid enim ſimilius hepati quàm hepar? quis neget pulueratum, infuſum, aut decoctum hepaticis maiore commodo exhiberi, quam eſſentiam cupri? Quid enim cupro cum iecore, niſi quod color idem? Argento cum cerebro, niſi quod illi ſit concolor? Etiamnè calidiſſima illorum eſſentia calidiſſimis morbis iecoris, vt hepatidi ſuccurrit? Materia miſtorum ſunt quatuor elementa ad iuſtitiam temperata, qua temperie partibus laborantibus benefaciunt, calidiores refrigerant, frigidiores calefaciunt. Secunda quoque & tertia qualitate vt amarore detergent, terreſtri ſubſtãtia aſtringunt: odoris ſuauitate cerebrum & ventriculum roborant, cur eorum ſit Anatomia ſeu diſſolutio vt ſpiritalis eſſentia perquiratur?

PATHOLOGIÆ CHYMICÆ CVM DOGMATICA Comparatio.

Sectio Secunda.

SIMIOTICE, CAPVT I.

PRÆCESSIT comparatio Physiologiæ Chymicæ cum Dogmatica: ſequitur Pathologia, cuius prima & præcipua pars Simiotice nominatur, quæ partim ſalubria ſigna explicat, partim inſalubria.

Appello ſalubria ſanitatis demõſtratiua: vt bonam temperiem, legitimam conformationem, & actionum omnium integritatem: huius etiam generis ſunt quæcũque temperamentũ indicant, qualia Galenus in arte parua. Inſalu-

bria voco, quæ vel partem affe-
ctam, causam, speciem & magni-
tudinem morbi, vel qualis debeat
illius sperari exitus ostendunt. Illa
Diagnostica dicuntur, hęc Pro-
gnostica: Chymicis verò Simio-
tice est signatura Physiognomica,
qualem Quercetanus ex Baptista
Porta descripsit, ex figuris pręser-
tim, coloribus, & adiunctis plan-
tarum: Inde quibus partibus, &
quibus morbis conueniant illi di-
gnoscunt eo fundamento, quo
Chyromantæ, & Physiognomi
suam artem commendant: Natu-
ram hominis adeò sollicitam fin-
gunt, vt expetendorum & fugien-
dorum quotidie mille modis illum
admoneat.

Plicas illas, quę fiunt manuum cō-
pręssione, dùm pugnū facimus,
aut quæ in fronte suboriuntur il-
lius dilatatione & constrictione,

ad eum finem à natura impressas dicunt, vt ex illis humanæ vitę casus dignoscamus, prosperos sequamur, tristes declinemus.

Hinc Metoposcopia: Hoc consilio, inquiunt, plantis inseruit varias notas, ex quibus prudens medicus facile coniiciat huic parti laboranti, nec non huic morbo depellendo has aut illas Plantas à natura destinari; qui Characterismus, ita plærisque arridet, vt neglecta vera Simiotice toti in ea conquiescant. Verum, si natura certas notas impressit Plantis, quæ nos admoneant earum vsus & vtilitatis in medendo, quidni etiã mineralibus quorum vsus est apud Chymicos frequentior? Cur non potius insigniuit, & certis notis distinxit Plantas alimentarias, quã medicatrices? quidni certis notis alibiles à Medicis, alteratrices à

purgantibus ſeparauit? quidni
nimantia quoque præſeferunt
gna iſta medica? debuerat natu
φιλάνθρωπος certis notis non tan
tum Alimenta à Medicamẽtis d
ſtinguere, ſed etiam Venena ab A
lexipharmacis, vt hæc eueſtigi
perſequeremur, illa fugeremu:
Age, rem propius diſpiciamus.
Rei cuiuſque cõſideratio duplex
vna abſoluta, altera comparata
Inprimis rei cuiuſque vis & natur:
per ſe & abſolutè cognoſcenda eſt
deinde aliò, vt ad hominis vſum
referenda, id eſt, quæ ſit cuiuſque
plantæ temperies, quę qualitas in
vnaquaque dominetur, prima, ſe
cunda, tertia, ſitnè calida an frigi-
da, aſtringens an aperiens, cepha-
lica an hepatica, primum perqui-
rere oportet. Manifeſtas qualita-
tes Dogmatici diſcernunt: potiſ-
ſimum ſapore & odore, ſpecificas

xperientia potius, quàm ratione. Possuntnè certius dignosci suo charactere? An quia serpentaria minor virilis pudendi refert imaginem, potius iudicatur acris & stimulans ad Venerem quam gustu? An quia serpentaria maior serpentis effigiem ostentat, idcirco iam frigida est quam serpens, aut serpentum morsibus medetur? Suntnè signa quę certò demonstrent has plantas astringere, illas aperire? Notam astrictionis, qualiscunque illa sit, astringẽtibus omnibus communẽ esse necesse est, quam qui indicabit erit mihi magnus Apollo. Creauit Deus vnumquodque propter se, sũt enim singula partes vniuersi, genita omnia ad illius ornatum & perfectionẽ. Accidit vt hęc prosint, illa noceãt homini: vtitur tritico & vino pro alimento, quia sunt amica suæ na-

turę, ſcorpium & viperam fugit vt capitales hoſtes, quia nouit vtrumque ſuæ vitæ inſidiari. Itaque primum natura & proprietas cuiuſque rei perquirenda eſt, deinde illa ad vſum referenda: Chymici primum negligunt, quia ſenſuum iudicium reſpuunt; neque ex ſapore aut odore naturam rei cuiuſque coniiciunt, quia ſenſus exiſtimant eſſe fallaces, qui tamen in propriis obiectis non falluntur. Contenti ſunt dicere quid ſecundariò & per accidens inſit, nempè hoc prodeſſe, illud nocere: coniecturis tam fallacibus, vt hac arte nihil ſit fallacius: Non enim poteſt relatio doceri, ignorato relationis fundamento: Non poteſt ſciri quid inſit ſecundariò & per accidens, niſi prius quod per ſe primò & abſolutè ineſt cognoſcatur. Deus homini ſoli dedit mē-

tem, cuius beneficio prudenter & cum ratione vtatur ſublunaribus omnibus, quorum alia occurrunt fugienda, vt venena & venenata omnia, quia naturæ noſtræ inimica & deleteria: quædam expetenda, vt Alimenta, Medicamēta, & Alexipharmaca, quia ſunt amica naturæ, eamque conſeruāt, & ab externo hoſte defendunt. Impreſſitnè ſigna his omnibus, quorum beneficio intelligamus hæc eſſe pro alimentis delîgenda, illa pro Medicamentis, alia pro Antidotis? Minimè verò; quidni? quia reliquit hoc humanæ prudētiæ. Iſtius prudentiæ fundamentum in quo conſiſtit? in natura rei cuiuſque diligenter ſubducēda & examinanda. Quibus mediis & inſtrumentis exploratur? Senſuū, guſtus & odoratus miniſterio, à quibus mens in latentem & recō-

ditam rei cuiuſque naturam per-
ducitur? Guſtus auſtera, acerba &
acida, frigida pronuntiat, eaque v-
ſu talia eſſe experimur; Amara ve-
rò, ſalſa & acria, calida: Dulcia in
horum medio conſtituta, tempe-
rata eſſe dijudicat. Proinde hæc
quia naturę ſunt temperatę, & no-
ſtræ ſimiliora deligimus pro ali-
mentis: ab eadem quæ non longè
abſunt, pro medicamentis, quæ
verò diſtant longiſſimè, tanquam
venena declinamus.

Quid ſi dixerim Deum non po-
tius mundana homini deſtinare,
quam ouem lupo, aut gallinā vul-
pi? Omnia animalia quæ ex rapi-
nis viuunt, quærunt prædam natu-
ræ ſuæ conuenientiorem. Homo
idcirco imperium habet in cæte-
ras animantes, quod conſtet men-
te, cuius vi innumerabiles artes ef-
fingit, quibus ſibi ſubijcit omnia.

Accepit autem manus mentis instrumenta, quarum ministerio omne genus armorũ affabrèfacit, quorũ ministerio dominatũ istum exercet, non est animal tam ferox quod arte non superet, sibique nó cogat inseruire. Delectum facit doctus experientia, qua duce his vtitur pro alimentis, illis pro medicamentis: Chymici quo duce, cum experientia quotidiana illorum minerales spiritus maleficos esse demonstret? Equidem ex vario modo mistionis color dependet, verum prout augetur calor vel minuitur, augeri quoque solet aut minui, siue ab interiore causa vt ætate, siue externa vt exercitatione, aut varia cœli cõstitutione mutetur, proinde non potest certò rei cuiusque temperiem designare: Mutantur simul cum calore, color, figura, magnitudo &

adiuncta, denique tota facies plã-tarum: ergo fallit characterismus neque potest certò rei vim & naturã demonstrare. Præterea Chymici non explicant morborum signa diagnostica, quod est in medendo præcipuum, sed remediorum. Cumque mineralibus poti9 quàm plantis aut animalibus vtãtur, quibus tamen notis vires & proprietates mineralium dignosci possint non demonstrant, quas si velint explicare, Quæro an essentiæ extractæ, an totius à quo extrahitur, vim & proprietatem certis signis explicarent: si abstractæ essentiæ, iam abest Characterismus, Color, figura, magnitudo, & adiuncta: Si totius adhuc integri, possuntnè quæ naturaliter insunt toti, artificialis essentiæ quam ignis per dissolutionem nõdum produxit, vim certò testari?

ÆTIOLOGICE.

CAPVT II.

MAterialium morborum interiores causæ sunt Plethora, & Cacochimia. Plenitudo est sanguinis, vel omnium simul humorum exuperans copia, quę etiam si non sit tanta vt distendat venas, qualis in habitu Athletarum; tamen si grauet vires, molesta est naturæ, fitque causa morbi. Impuritas verò est alicuius humoris vitium, pituitæ, aut alterutrius bilis, quos quidem humores morbos tàm internos, quam externos committere, facilè ex eorũ priuatione dignoscitur. Nam si negatio sit causa negationis, erit quoque affirmatio affirmationis, Atqui absentia hu-

moris morbifici (artificialis aut na-
turalis non refert) morbum tolli;
eiuſdem igitur præſentia illum ef-
fecit: Artificialẽ priuationem ap-
pello conuenientem humori pur-
gationem; Naturalem verò, criti-
cam excretionem. Faciamus ergo
aliquo morbo à pituita ægrum te-
neri quæ cocta die critico cum
ægri leuatione à natura excluda-
tur; quis dubitet habitum ex pri-
uatione concludere, qui abſens
tollit, preſens efficit. Fingamus da-
to ſæpius Phlegmagogo, ſublata
cauſa morbum tandem depulſum;
poteſtnè iure dubitari ſi morbus
fuerit pituitoſus? Tumores contra
naturam, tàm interiores quàm ex-
teriores nonne ſatis teſtantur ſub-
eſſe in venis, & extra venas ſan-
guinem, bilem, pituitam, & me-
lancholiam? cum illis ad cutem
veluti emiſſarium commune trãſ-

nissis fiant Phlegmone, Erisipelas, & Schirrus, Incisa vena excipiatur sanguis vasculo, qui subsidebit crassus, niger & fœculentus, sanguis est melancholicus; qui natabit tenuis, igneus, & spumans, biliosus; permistum serum est tenuis & cruda pituita; aliquãdo eminet quid purulẽtum, quod est crassa & putris pituita, totam massam suo rubore tingit, propriè dictus sanguis author inflammationum, quæ cùm pateant sensu, sit autem Medicus sensualis Physicus, quæ dementia est nouas, & ad hunc diem inauditas morborum causas cõminisci? Si sint plurimi morbi à tartaro, vt Arthritis, & Nephritis, quidni remedia præscribuntur, quæ definitè vacuent tartarum? quidni crises tartareæ? quis prudens dixerit, potius morbum solui diarrhæa salsa aut sul-

phurea, quàm pituitosa aut biliosa? Vomitus biliosus, qui infinitos morbos terminat, cur sulphureus potius dicitur quàm biliosus? quo iure pituita dulcis quæ euomitur, & copia potius grauat vẽtriculum, quàm qualitate, ex qua tãdem fiunt Arthritis & Nephritis, sal nuncupatur? Quæ Tyrannis est in repub. litteraria, nomina iam ab omni æuo recepta, rerum quas designant vera symbola, in noua, impropria, & rerum minus significatiua permutare? Malisnè hominem pronum ad iram sulphureum dicere, quàm cholericum, aut biliosum, terrestrem verò natura, salsum potius quàm melancholicum? Princeps tenebrarum, quia non potest directè opera Dei calumniari, immutat rerum nomina, vt ex nouis & ignotis vocibus inducat cõ-

usionem, & fugata luce, seu veritate ab artibus depulsa, dēsas tenebras inuehat. Obijciunt Hippocratem ipsum secundis, non primis qualitatibus, vt aciditati, salsedini, acrimonię acceptas ferre morborum causas. Respondeo Hippocratem abusum reprehendere non vsum: Redarguit eos qui à solis primis qualitatibus morbos oriri existimabant, ab vtrisque vult excitari; pituita enim acida boulimiam parit, salsa sitim; bilis ardore suo febrem excitat, acrimonia erodit & vlcerat. An propterea caloris & frigoris excessus morbos non pariunt? Imo longè plures & frequentiores, quam secundæ qualitates: Qui nouit elementorum transmutationem, ille nouit vt humores sint efficientes morborum. Ignis extinctus aërescit, aër motu vehementi incale-

ſcens igneſcit, ille idem frigore aqueſcit per condenſationem, aqua verò aëreſcit per rarefactionem, terreſcit per condenſationē: denſatur frigore, rareſcit calore, ſola terra vt manet immota, ſic immutata: Qualitatibus quidem alteratur, incaleſcit & frigeſcit ſubindè, ſubſtantia manet immutata. An vt aqua frigore lapideſcere creditur in fodinis, ita in renibus? Minimè verò quia non poteſt in viuentibus tantum eſſe frigus, vt aquam, aut aqueum humorem in lapidem conuertat: fit ergo à calore immodico partes tenuiores reſoluente, eo modo quo tophi in articulis, & in viſceribus ſchirri, reſoluta parte humoris tenuiore & humidiore, ſola relicta denſiore, qui confirmati numquam ſaneſcūt, quia terra non aqueſcit: Hoc modo generatur calculus in

renibus & vesica; ex pituita calor resoluit partes humidiores, reliquum lapidescit: cuius coagulationis non est dissolutio, quemadmodum nec terræ in aquam regressus, proindè ridicula sunt quæ de causis & remediis Arthritidis nodosæ & calculi promittũt Spagyrici. Qui poterit calculum & tophum dissoluere, poterit & nodosam podagram, poterit & schyrrhum confirmatum emollire, qui tamen emollientum vsu degenerat in cancrum.

Inter pręcipuas & frequentiores morborum causas Spagyrici recensent humorum coagulationem, coagulari autem à Tartaro insito, quod tantum abest vt verum existiment Dogmatici, cùm ex quatuor humoribus solum sanguinem coagulari manifestè conuincant. Hoc enim signo discernitur

nitur per aluum excretus & pel
exceptus humor à ſanguine, quo
ſi concreſcat ſanguis eſt, non hu
mor, exempli gratiâ, ſit excretu
rubrum aut flauuũ, dubites aut
ſi ſit verus ſanguis, an bilis rubra
ſanguis bilioſus, an bilis flaua, me-
lancholicus ſãguis an humor me-
lancholicus, pituitoſus an pituita.
Hoc internoſces ſigno certiſſimo,
ſi coaguletur ſanguis eſt Nam vbi
primum excidit è vaſis. concreſcit
ratione fibrarum, cæteri humo-
res numquam, quia deſtituuntur
coagulante; exime colatura fibras
à ſanguine, aut ſanguis ipſe careat
fibris, qualis ceruorum & dama-
rum perhibetur, nunquam con-
creſcet: Sanguis verò taurj adeò
fibroſus eſt vt concretione ſit le-
thalis: poſſunt cæteri humores ve
denſari & indurari frigore, vel à
calore tenuiores partes & liqui-

diores resoluente, sed coagulari non possunt. Tartarum, quod fingunt Chymici immixtum pituitæ in generatione tophorum & calculorum, neque concrescit, quia hoc proprium est humidi, neque est causa concretionis, quia concretio vel fit secretione, sic lac in caseum concrescit secreto sero, vel humore tenui à calore resoluto, quomodo fiunt tophi & calculi, vel vi fibrarum, quomodo sanguis concrescit.

THERAPEVTICES VTRIVSQVE COMPAratio.

SECTIO TERTIA.

Quærendumnè Remedium simile, an contrarium.

CAPVT I.

De tribus Medicinæ partibus iam duas inter se comparauim⁹: Inſtat vt Chymicam Therapeuticem cum Dogmatica conferamus: Contraria enim iuxta ſe poſita magis lucent. Sunt autem curatricis Medicinæ tria prima capita, Inuentio remedii, eiuſdem Delectus, & Præparatio: Quærendũ in primis remediũ quod cõueniat profligando morbo. Natura

nim à morbo, tanquam à suo ca-
tali hoste opprimitur, vocatur
Medicus ab ægro, vt laboranti na-
turæ succurrat, illiusque hostem
qua poterit arte depellat, perqui-
rit media & instrumenta quibus
hoc consequatur, quæ idcirco re-
media nominantur: Qualia? si-
milia nè an contraria? Similia, in-
quiũt Spagyrici. Cui similia? mor-
bo, morbi causæ, an naturæ? Non
morbo, quia numquam à suo si-
mili fugaretur; Simile enim simi-
li facile vnitur. Hoc cum sit à
Galeno variis locis copiosè de-
mõstratum, nec sit inter nos con-
trouersum, pro rato constituam'.
An morbi causæ? Ita placet Quer-
cetano & Paracelso: Illi enim sa-
lem sale, sulphur sulphure curan-
dum existimant. Sit ergo morbus
à bile, humore calido, acri, mor-
daci: refrigerantibus & hume-
ctantibus incrassanda erit & ad

temperiem reducenda : qua ar
ſimul illius acrimonia obtunderu
Si pugnandũ eſſet ſimilibus, ca
facientia, ſiccantia, & attenuan
tia conuenirent. Eſto humor craſ
ſus qui obſtruat, incidendus er
& tenuandus, non incraſſandus
Eſto lentus & viſcidus, detergen
tibus eſt opus. At inquiunt, ſal
coagulanti opponimus diſſoluen
tem, curamuſque ſalem ſale, ſimi-
le ſimili. Ita ſit ſanè: At ſal diſſol-
uens nunquid eſt contrarius coa-
gulanti, coagulãs diſſoluenti? Coa-
gulare & diſſoluere nunquid ſunt
effectus contrarii? Quamuis vnus
idemque ſal ad numerum coagu-
landi & diſſoluendi vim haberet,
tamen diuerſo modo affectus ha-
beret rationem cauſæ contrariæ.
Idem numero calor coniunctus
humiditati humectat, emollit, re-
laxat; iunctus ſiccitati indurat, cõ-

pingit. Reſtat tantum quæſtio de ſpecificis, quæ pugnant occulta non manifeſta qualitate, de quibus ita ſentiendum, Quædam horum eſſe ſympathea; alia antipathea: hęc ſubſtantia diſſentiunt, illa verò conſentiunt. Maior autē eſt ſpecificarum qualitatum, quàm manifeſtarum pugna: Proinde vt arctior eſt concordia eorum quæ ſympathiâ conſentiunt, quam quę ſola qualitate manifeſta: Ita maior videtur eſſe repugnantia, eorum quæ diſſentiunt antipathiâ. Venena exempli gratiâ, quæ ſpecifica & occulta proprietate inſidiantur noſtræ vitæ, magis videntur eſſe nobis inimica, quàm quæ manifeſta tantum qualitate aduerſantur: Itaque ſiue ſpectes morbum, ſiue cauſam morbi, contrariis non ſimilibus pugnandum eſt. Supereſt tertium effugium, Re-

medinm quidem non esse simil
morbo neque morbi causæ, se
naturæ. Numquam fuit ea men
Paracelsi, cum salem sale, simile si
mili curandum voluit. Esto tame
Haruetti: Cur simile naturæ? qui
inquit, à calore natiuo promoue
tur ad actum. Atqui calor dedu
cit ad actum refrigerantia, non
minus quam calefacientia; qui
nimo venena, tam quæ manife-
sta, quam quæ occulta qualitate
naturæ aduersantur, manerent o-
tiosa nisi à calore eorum vis edu-
ceretur in actum. Ergò dignus est
qui istam similitudinem experia-
tur: Venenis & venenatis vene-
na sæpe medentur, vt vipera ele-
phanticis, hydrargyrus lue vene-
rea correptis. Nonnumquam vnũ
venenum alterius est Alexiteriũ.

Dogmatici ad profligandũ mor-
bum quęrunt remedium quod sit

nicum naturæ, quia illius hosti
nimicum. Alimentum verò quod
t inimicum morbo, quia naturæ
micum: Purgatio quæ tollit cau-
m morbi, priuatiuè repugnat
norbo, ex consequenti laboranti
aturę subuenit, Alterãtia, quia
qualitate contraria diathesim ini-
nicam naturæ oppugnant, bene-
faciunt naturæ: Ergo Medici par-
tes erunt aduersus morbũ, & mor-
bi causam remediis contrariis pu-
gnare, atque ita naturam adiuua-
re. Sũt quidem benefica remedia,
& veluti Deorum auxiliares ma-
nus, non similia.

QVOD REMEDI[A] ASSVMENDA, POTIV[S] *ex Plantis & Animalibus, eo-rumque partibus petenda sin[t] quàm ex Mineralibus.*

CAPVT II.

MEDICAMENTA quædam propius accedun[t] ad naturam alimenti, alia ad qualitatem veneni. Illa vt sunt naturæ nostræ similiora, ita sæpius vsurpanda; Maligna ad necessitatem, vt ad magnos & contumaces morbos reseruanda. Eò enim optatius debet esse remedium, quo naturę nostrę familiarius. Contraria vocant Physici quæ à se inuicem longissimè distant: Maximam distantiam sumunt à locorum intercapedine,

…ogici vero à formarum discrimi-
…e. Atqui Mineralia non tantùm
…co à nobis absunt longius, quia
…tent in terræ sinu magno sudo-
… eruẽda, cùm Plantæ & anima-
…a nobis obuersentur, & manibus
…uotidie palpentur: Verum etiam
…pecificis differentiis absunt om-
…ium longissimè. Nam veræ rerũ
…ifferentiæ & similitudines potis-
…imum petuntur à formis: Atqui
…nima animæ similior est quàm
…atura animæ, quia in pluribus
…onsentiũt. Omnia enim animata
…utriuntur, crescunt, & procreãt
…imile, quæ sunt inanimatis dene-
…gata: Proinde materia medica po-
…tius in Animalibus & Plantis, quã
in fossilibus quærenda. Non ne-
garim Mineralium, vt lapidum &
metallorum, maximam esse ne-
cessitatem ad vsum vitæ humanæ,
sed ad conseruandam sanitatem vi-

dentur potius Chirurgis mate
medicam ſuppeditare pro ext
nis affectibus, quàm Medicis p
ſumendis per os remediis: Habe
enim ſubſtantiam à noſtra tam l
gè diſtinctam, vt non modo c
lor natiuus non poſſit illam aſſ
milare noſtræ, ſed vix eorum vi
medicatricē poteſt in actum edu
cere. Igne domantur & corrigun
tur, inquiunt. Nam ſi Galenus ve
rè ſcribit ſerpentes exuſtos igni
operâ, noxiam noſtriſque corpo
ribus inimicam qualitatem depo
nere, & conuenientem medica
minibus opem aſſumere; quidn
metallica per ignem reddentur ſa
lutaria detracto craſſamento, ſpi
rituali remanente? Imo verò igne
redduntur deteriora, & magis de
leteria: Metallorum calor qui om
nibus ineſt, teſte Galeno, exter
ni caloris acceſſione intenditur.

pienter Erastus & Cardanus à
neralibus tanquam à venenis
horrent, eaque igne reddi de-
ciora in commentarios retule-
nt. Quinetiam Erastus affirmat
nnes intra anni spatium interi-
e, quicunque medicamenta Pa-
celsi venenosa ex metallicis cō-
osita intra corpus assumpsissent,
biungit. *Vsurpant enim Pharma-
ijs prædita viribus, quibus magna
iolentia cogunt naturam vitiosos hu-
ores exturbare, sed ita interim vires
ebilitant ac prosternunt, tamque mali-
na post se venenatæ qualitatis vestigia
elinquunt, ut nec illa sese colligere, nec
mpressas veneni reliquias abstergere
ossit.* Verum Erasti fides forsan
uspecta erit, conuincam Chymi-
cos ingenua confessione Rubej pe-
ritissimi Chymici. *Metallica medi-
camenta*, inquit, *ut extrinsecus à pe-
rito Medico adhibita iuuare possunt, ita*

interius præbere vix auderem, quòd à aquis acutis, & ignis vi inimicam vi sceribus qualitatem, & admodum pernitiosam adipiscãtur; quo nomine Theophrasti Paracelsi remedia complura mihi admodum suspecta sunt, & plerique scribunt Basileæ ad vnum omnes, licè initio præclarè adiuti viderentur, tam intra anni spatium mortuos esse, quicũque Chymica eius pharmaca ex metallicis confecta in corpus assumpserunt. Crato obseruauit plurimos lue Venerea laborantes ab vsu Turpethi mineralis meli⁹ habuisse, sed paulo post interijsse. Andernac⁹ Chymicus ab assumẽdis olea & aquas metallicas reijcit. Illius verba adscribã vt apud Chymicos mai⁹ põdus habeant. *Metallica extrinsecus adhiberi debent, quæ intrò sumpta, viscera ob nimiam ipsorum erodendi, exedendique facultatem vellicant erodũtque, qualia præcipuè sunt, quæ per salia*

& idgenus alia in calcem deducta conficiuntur: quibus adſcribuntur Aquæ Metallicæ, quas validas ſiue fortes vulgò vocant, aliique ſimiles liquores rebus ſeparandis ad calcem redigendis, indurandiſque, & variis metallorum coloribus immutandis vſitati. Auicennas ferri ſcobẽ, & ſquammam deleteria eſſe ſcribit, & ab his inteſtinorum cruciatus, oris & linguæ ſcabritiem, maraſmum, & membrorum arefactionem excitari: quorum Antidotum ſtatuit Magnetem drachmæ pondere potum ex mercurialis vel betæ ſucco. Vidit Eraſtus duos ex limaturę Chalybis vſu miſere perijſſe, quam tamen noſtro modo præparatam nõ adeo noxiam experimur. Nec facile crediderim quod in ſcripta retulit Fontauonus, mulieres vſu limaturæ Chalybis ſteriles effici. Nouit Parens

meus mulieres quæ numerosam prolem susceperunt, quamuis per diu vsæ sint isto puluere. Inueni quidẽ apud Dioscoridẽ rubigin ferri admotam sistere fęminarum profluuia, potam vero præstare n concipiant. Respondebunt Chymici ista maleficia euitari sua præparatione, vsumque Chalybis in tenuissimum puluerem ad instar croci redacti, securiorem esse. Ea Chalybis præparandi probatissima & laudatissima ratio est Baucyneti iudicio, quę solo igne flagrãtissimo, violentissimo, eoque diuturno, quem reuerberij vocant, constat. Longè aliter sentiunt peritiores Chymici.

Andernacus vsum ferri igne flagrantissimo præparati fugiendum esse admonet, quemadmodum & æris vsum, cuius tanta fertur malitia, vt ænea vasa cùm esculẽ-

a, tum potulenta, nisi stanno il-
ta fuerint corrumpant, quippe
um æruginem facile contrahant.
Æs noxas inducit graues, Ele-
phantiasim, Cancrum, dolorem
iecoris & lienis, præsertim si vasa
crudos succos contineant, aut vi-
na dulcia: Si vas æneum superpo-
natur piscibus frixis adhuc calen-
tibus, adeò inficiuntur, vt instar
veneni lethales fiant. Hæc Sera-
pio.

De Theriaca Calchitim vt venenatã, Fernelius & Diffẽnius expũ-
gunt: Et Val. Cordus cùm ali-
quendo in Theriaca componen-
da Calchitim omisisset, gratiorem
saporem illi comparauit. Nec mul-
tum interest, authore Galeno, si
prætermittatur, cum facultas me-
dicamenti sublata Calchitide nul-
lomodo alteretur.

Obijciunt veteres in assumendis

vſos eſſe metallicis: At non Chy
mico modo præparatis vi max
morum ignium. Auget non m
nuit eorum malitiã ſpagyrica pe
ignes præparatio. Veterum vſti
leuis erat, ſimplex potius toſtio
Idcircò Dioſcorides æs vſtum,ru
brum laudat, nigrum quod plu
quàm deceat ſit exuſtum reijcit. E
Galenus metallica, quibus in ad
mouendis vtebatur, trita & in ace
to lota, æſtate, potius ſole quàm
igne deſiccabat; quod eo modo
meliora fierent: In hoc noſtri
Spagyricis cautior, qui metallica
vſtione longa & vehementi igneã
qualitatem adepta, interius præ-
bere non verentur.

Illa ſi quidem ex ignis commer-
cio, vt lib. 2. κατὰ γεvn' innuit,
mordacia redduntur: Quibus autẽ
ſimile quippiam vſtioni ex tritura
cum aceto in ſole facta ignis loco

ccessit ea ex igne genitũ calorẽ
nõ cõsequuntur: Adusta autẽ omnia
se ipsis calidiora fieri docent,
Arist. lib 2. de part. anim. c. 2. & Galenus
lib. 2. de facult. nat. exemplo
fęcis vstę, & non vstæ. Ipsemet
Ætius, Cochlearum vstarum
cineri siccãdi vim tribuit, & propter
vsturam calidiorem esse fatetur:
Si igitur cineres palearum, herbarum,
& cochlearũ vstione acres
& erodentes fiunt, quid de durissimis
illis corporibus statuendum,
quæ igne ardentissimo præparantur?
Scio Libauium Antimonij
violentiam igni non adscribere,
quia vitrum vltimo igne exagitatum
longè redditur mitius; quid
mirum? cum per incinerationem
penitùs sua forma & actione priuetur,
amisso humore radicali, vel
liquore mercuriali actionis causa,
itaut sit terra mortua, ignaua: Idem

esto iudicium de sale ferri&plu
bi. Sed longius diuagatur orati
Ad metallica de quibus erat sern
reuocanda: quorum quędam a
sumpta Dioscoridem & Galenum
qui vniuersam materiam medic
scriptis illustrarunt, probasse fa
teor, non quòd illa vegetalibu
præferrent (apertè enim Galenu
suum de metallicis iudicium de
clarat lib. 3. Meth. cap. 3. & lib. 1
eiusdem operis cap. 10.) sed vt ar
tis Medicæ potestatē dandi quic
quid lubet pro medicamento de
monstrarent, quibus facile carebit
qui materiam medicam acurat
pernouerit. Numquam enim re
mediorum inopia laborabit, in
quit Galenus, siue per montes ve-
netur, siue quid operetur in agro,
siue in peregrinatione, quāquam
præparatis careat medicamentis,
velut Erasistratus scripsit, qui seip-

ſum curauit rubi ſucco, cùm illi Andronius Paſtillus (qui metallicis conſtat) non adeſſet. Itaque cũ nobis tot remedia ex plantis & animalibus ſuppetant, quid opus eſt in terræ viſceribus, & in ſede manium medicinas quærere, tanquam parum benigna fertilique tellure quaqua calcatur? Satius eſt vti plantis & animalibus benignis & amicis naturæ remedijs, quàm metallicis adeo noxiis & naturæ noſtræ aduerſis. Multo tutius eſt, vt ſcripſit ad Antigonum regem Diocles Cariſtius, Medic⁹ ab Hippocrate fama & authoritate ſecũdus, & à Galeno tãtopere commẽdatus, ijs vti quibus delinqui non poteſt, ex quorum numero ſunt, vt ille idẽ tradit, Beta, Aqua mulſa incocta Malua, Rumex, mercurialis, & omnia melle condita, quam metallica medicamẽta pror-

ſus infida & pernitioſa vſurpare. Hippocrates 1. Epid. Medicum admonet, ſi nō proſit, ſaltē ne noceat. Galenus in Commentario ſanctè affirmat, ſe nullum vnquam auxilium inſtituiſſe, quin illius apud ſe prius periculum feciſſet, ne ſi voto & fine fruſtraretur, ægrum offenderet. Et lib. de compoſ. Medic. per genera ait, ſe quidem vſum remediis, quæ num profutura eſſent nonnunquam dubitabat, ſed quæ nihil afferre incommodi certo ſciebat. Neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, coria, artis Medicæ ſunt materia, in quibus multis modis experiri & exercitari tyronibus impunè licet: At in corpore humano experiri periculoſa, nefas; cùm mala experientia ad totius animalis interitū terminetur. Temerarij Cinifiones de corio humano ludunt, audent

[N]oua & inuſitata Medicamenta ex [m]etallicis confecta, & à doctioribus Medicis damnata in homine [e]xperiri, quaſi remedia deſint vt [sc]elera contractent, ſed iſta prætexunt noxio inſtrumento, tanquamque impudentiæ eſt, vt venenum artis eſſe perſuadeant.

AN REMEDIA SPIRITALIA PRÆSTENT *materialibus.*

CAPVT III.

AD delectum pertinet hæc quæſtio, digna quæ contrariis rationum momentis diſputetur. Nam vt forma eſt principium actionis, materia perpeſſionis (Nam quo quid ad naturam formæ propius accedit, eò efficacius, quo quid corpulē-

tius, eo ad patiendum aptius, ad agendum verò ineptius) Si igni esset immaterialis, inquit Aristoteles, ageret semper, numquam pateretur; patitur enim interitque causa materiæ. Si daretur seni oculus iuuenis, videret vt iuuenis: quia anima non senescit, potentior est in senio quàm prima ętate, illius vires minuuntur & fatiscunt instrumento tabescente. Si quis apud se consideret quanta sit vis ventorũ qui ingẽtes arbores euellunt, sæpe montes loco mouẽt, & longè latéque impellunt; quanta potentia fulguris aut tonitruj, quanta intelligentiarum cælestiũ, quanta Dei Optimi Maximi: & à sublunaribus paulatim ad cælestia, ab his sensim ad supracælestia ascendẽdo: comperiet verũ hoc theorema, quo quid spiritua-

ius & formalius, eo esse efficacius.

Contra scribitur 4. Meteor. ignem eò magis calefacere, quo densiori subiecto inhęret: Ignis enim accensus in palea minus vrit quàm in tigno; Propterea ignis elementaris, quanquam calidus siccus, siccitas autem sit lima caloris, nullis tamē effectis se prodit, quia subiecto inhęret tenuissimo. Nonnè vides vinum tenue citius corrumpi, quàm crassum, vt græcum, quod ad centum annos durasse quidam scriptis prodiderunt. Aquæ fortes, & quæ distillatione frequenti tenuiores euaserunt, in auras citius facessunt. Metalla solidiora, vt aurum & argentum, sūt permanentiora. Si lapides lapidibus conferas, ligna lignis, corpulentius & compactius perdurabit diutius

diutius: In maiore quanto vis maior & permanentior.

Dolium plenum reſiſtit potentius & diutius externis iniuriis quàm lagena, Ignis maior calfacit magis & diutius, cæteris paribus, quam minor. Præterea ad actionē Phyſicam requirũtur cõctactus & mora, non poteſt incidi & expelli humor craſſus & viſcidus qui venas obſtruit, ſine mora: non poteſt medicamentum per tot anfractus ad partem laborantem, quæ à ventriculo diſtat longiſſimè, ferri integris viribus; præſertim ſi fuerit ſpirituale, quia citò vaneſcit. Itaque videtur de quæſtione propoſita, & in contrarias partes probabiliter diſputata ita ſtatuendum. Spirituum vt citiſſima, ita vehemens eſt actio, ſed fugax. Materiatorum verò tardior quidem ſed conſtantior; conſtantia celeritatem com-

ensat. lenta est actio corporeorum, sed permanens, cita spiritualium, sed momentanea. Proindè quoties promptum auxilium desideratur, vt cum spiritibus per syncopen dissipatis succurrẽdum est, spiritus vini præferendus est vino. Cum alimento reparanda est solidæ substantiæ iactura, præstat vinum Aquæ vitæ. Cum incrassãdum, deobstruendum, astringendum, detergendum, præferendũ est auxilium materiale, quia ad hęc omnia desiderantur contactus & mora. Cur pestis spiritualis est funestior quam humoralis? quia spirituale venenum promptius interficit. Quæ eminus nocent, vt quæ odore & suffitu necant, deteriora sunt ijs quæ cominus, quia agunt & nocent promptius, prius naturam & vires prosternunt, quàm potuerit se colligere. In maiore

quanto eſt vis maior extenſiuè, i
minore poteſt eſſe vis maior in
tenſiuè, Extenſio eſt materiæ &
quãtitatis, intenſio verò formæ &
qualitatis. Proinde ſpiritalia vene
na ſunt nocentiſſima, quia late
venenum in ſpiritu quod interfi
cit celerrimè, ſpiritualis materi
noxam accelerat. Venenũ metal
lorum eſt in ſpiritu, quiigne flagrã
tiſſimo redditur deterior, quia ad
nocendum promptior. Spiritus
ab igne vt celeritatem, ita nocen-
di vim maiorem acquirit.

PRÆPARATIO REMEDIORVM CHYMICORUM *præsertim purgantium, quæ petuntur ex mineralibus, comparatur cum præparatione Dogmaticorum.*

CAPVT IIII.

HACTENVS demonstrauj Medico quærēdum esse remedium morbo, & morbi causæ contrarium, quod ex consequenti naturæ beneficū potius, quam simile dicendum est. Hoc autem ex Plantis & Animalibus, eorumque partibus potius, quam ex metallicis requirendum. Sequitur vt ad tertiū caput Therapeutices, quod in reme-

diorum præparatione verſatu
aggrediamur. A Chymicis præ
paratioibus non adeò auerſi ſum
vt illas omninò repudiemus: Vt
mur enim quotidie aquis ſtillat
tiis, & oleis deſtillatis, admotis ta
men potius quam aſſumptis. Vti
mur etiã cardiacis deſtillatis, quæ
proſtratas & languentes vires re-
ſtaurent : neque aſpernamur ex-
tracta, ſed noſtris decoctionibus
& infuſionibus maiorem vim tri-
buimus, adeò vt Chymicis carere
potuerit medicina: modeſtius de
illis ſentimus, quàm de noſtris Pa-
racelſus in Labyrintho, cuius hæc
ſunt verba. *Craſſa & rudis præpara-
tio medicinarum, qua ſe Monſpelienſes
Pharmacopœi efferunt, ars eſt haud
quaquam diſcenda, ſed mera coctura &
fartura abominabilis: Ipſi tamen hac
arte Syrupos coquunt, & laxatina, &
ſimilia compoſita. Hoc artificium atra-*

nentarij Pseudomedicorum libri docent; Non sunt, inquam, syrupi & laxatiua eo modo paranda, qui à Monspelliensibus traditur, sed prout scientia Alchymiæ Medicinæ docet: Sic enim Deus ordinauit. Similis fuit doctrina Quercetani, quam non tantum publico scripto Lutetiæ edidit, sed etiam Medicis Parisiensibus, quorũ doctrinæ maledicebat, impudenter nuncupauit. Quid hoc, si non contumelia est? Adeò nos plumbeos putabat, vt maculam istam veteri medicinæ inustam nõ elueremus, iniuriam publicam perferremus? Potuitnè Schola cum illo mitius agere, quam censura publica talem Alchymiam, hoc est Paracelsicam, seu Diabolicam proscribere, & indignam luce iudicare? Potestisnè indignè ferre, quod Diabolica nuncupetur, cum

ſibi laudi ducat, quòd talem habuerit magiſtrum?

Agè verò, vt iuſtas proſcriptionis cauſas lector intelligat, velim meminerit quod iam ſemel & iterum nomine totius Scholę publico ſcripto Cenſor denunciauit; Illam non omninò damnare Chymicas pręparationes, quãuis ordinarias pluris faciat, ſed Quercetani id eſt Paracelſi Alchymiã tãquã fallacẽ ãgue peius odiſſe, cuius principia ſint falſa vt eſt in Phyſiologia demonſtratum, cauſæ morborum falſæ, vt eſt in Ætiologia probatum, ſigna falſa vt docuit Simiotice, remedia præſertim purgantia, quæ à mineralibus petuntur (quæ ſunt medendi præcipua inſtrumenta) eſſe mendaciſſima; quia promittunt multa, nil aut parum præſtant, niſi naturæ & humorum conturbationem. Proxi-

num est præparationem Dogmaticis consuetam, præstantiorem esse Chymica, vt paucis & perspicuè demonstremus.

Alchymia est præstantior, quæ ad naturalẽ propius accedit. Natura vim tam purgatricem quam alteratricem blando, eoque humido calore non tantum succum alibilem allicit, sed etiam cum succo vim tam alteratricẽ quam purgatricem. Argumento sunt Gallinæ quæ viperis nntriuntur: retinent enim vim elephantiasis medicatricem, quemadmodum coturnices nutritæ veratro vim purgatricem. Atqui Dogmatici dum infundunt aut coquunt remedia, tam alterantia quam purgantia, vtramque facultatem blando calore eliciunt qui sit analogus natiuo. Chymici verò purgatrices & alteratrices essentias præsertim de metallis extrahunt igne flagrã-

tiſſimo. Ergo ratione efficient
Alchymia Dogmaticorum ſim
mior eſt naturali, quam Spagy
ricorum. Item duæ cauſæ concu
runt ad legitimam purgationem
Calor duplex. Natiuus vt cau
princeps, & calor medicamen
vt illius inſtrumẽtum, Ab vtroqu
enim fit attractio, à natiuo, calor
cathartici adiuto: Requiritur præ
terea ſubſtantiæ ſimilitudo, qua
eſt cauſa delectus & ſecretionis
Trahunt enim propriè dicta ca
thartica calore, cùm delectu ve
rò (vt rheum prius & potius bilē
quam pituitam, Agaricum pituitā
prius & potius quam bilem) for-
marum ſimilitudine.

Atqui quorundam cathartico-
rum, vt rhabarbari vtrãque qua-
litatem alterantem & purgantem
infuſione elicimus, quorumdam
verò, vt ſennæ, decoctione. Nã
infuſum rhei eſſe calidum experi-

ntia manifestè conuincit: Idcir-
o enim perhibetur mors calidio-
s hepatis, quod immoderatus
alor hepatis ascititio intendatur.
adem experientia demonstratur
llud cum delectu bilem attrahere:
Ergo vtriusque effectus causam in
iquorem trāsmittit: non est enim
ffectus absque causa. Temperiē
eu manifestam qualitatem & vim
eu proprietatem formæ, quæ sūt
luæ causæ eius purgationis quæ fit
cum delectu, nos arte deponimus
n aquam, aut alium similē liquo-
rem: Frustra igitur ratione pugna-
tur contra sensum & experientiā.
Leue est quòd proprietates sint in-
separabiles, quia quemadmodum
scientia à docente in discipulum
transfertur non immutato subie-
cto, sic calor ignis cui essentialiter
& inseparabiliter cohæret, in ob-
uium quodque diffunditur, sic co-

lor in corpus diaphanes, vt vitru-
odor in odoratum, ſonus in a-
ditum trāſmittitur immutato ſu-
iecto: Alia autem ſuam facultate
demittunt immutata, ſic Rheu
ſuam temperiem nempe calore
ſiccū; & vī purgatricē, quā hab
forma & proprietate ſubſtanti
deponit in conuenientem liqu
rem, non ſine mutatione ſui, qu
illi plurimum deperit, vt vt ſi
Noſtris infuſis & decoctis vtrum
que retinemus, natiuum calorem
& formæ proprietatem, à quibu
vera & legitima purgatio abſolu
tur. Chymiſtæ nil tale de ſuis eſſē
tiis purgantibus audent pollicer
Neque enim trahunt natiui calo
ris opera, neque cum delectu, qui
hunc humorem non prius aut po
tius vacuant; ſed immodico ſu
calore non aliter naturam contu
bant quam febrilis ardor: Eand

[v]enenata ſua qualitate non aliter
[q]uam aſſumpta venena exagitant;
[e]xcretrix irritata, ſuſque deque
[q]ua poteſt ſeſe exonerat, ſi forte
[ſe]quatur fœlix euentus, fortuna-
[tu]s eſt, non artis aut rationis: quia
[n]eutra ſubeſt cauſa legitimæ &
[n]aturalis purgationis: Purgatio
[q]uæ fit à vitro aut floribus Anti-
[m]onij, aut Mercurio præcipitato
[e]ſt violenta: Omne autem violē-
[t]um naturæ inimicum: vt gaudet
[m]oderatis, ita exceſſu omni cor-
[r]umpitur: Ergo tutiora, ſunt & be-
[n]igniora, eaque ſi non palato, ſal-
[t]em naturæ gratiora, quæ Dog-
[m]aticorum artibus, infuſione præ-
[ſe]rtim aut decoctione parātur ca-
[t]hartica. Eſſentiæ minerales ſunt
[m]aleficæ, conturbant enim natu-
[r]uram, atque ideò vel vomitu, vel
[d]eiectione contingit, vt excreto
[h]umore morbifico æger melius

habeat. Verum, authoritate etiam chymicorum, experientia & ratione, demonstraui esse bonũ præsens damnum emergens. Videntur ad tempus benefacere, sed relinquunt in partib⁹ nobilibus diathesim funestam. Non potest violentia nõ esse naturę molesta. Scio Paracelsum in Labyrintho respõdere cathartica purgare ex scientia infusa. Sciunt enim sibi esse purgandum, & quid purgandum connata scientia, scilicet homo multo sudore scientias persequitur, & erunt spiritibus mineraliũ à Deo infusæ? Qui agit scienter potest reddere suæ actionis rationẽ. Nugarum plenus est iste morio: Vtinam ista scientia fuisset illi ad mouendum risum inspirata, nõ ad fallẽdum à maligno spiritu reuelata.

Quia remittitis nos toties ad

Chymiam Libaui, de quâ scripserit omnium accuratissimè: Placet illius arbitrio cōtentionem dirimere. *Extracta purgantia*, inquit, *sunt tam violenta, vt ad venenorum potius naturam accedant, quàm medicamentorum.* Audi rationem: Vis enī purgātis medicamēti educitur in actū à calore natiuo. Atqui non potius quam veneni vis illa regi potest à natura. Illam enim ita cōturbant, vt susque deque, sæpe etiam per sudores moueant: Accidit aliquando vt sanescat æger, sed qui adolescens fuerit, & naturam habeat robustam, ventriculū non imbecillum, obstructione laboret contumaci: natura enim extremo conatu humorem excludente sanescit. Si non inueniat in quod agat, violentiæ nōn aliter quàm veneno natura succumbit. Ab hoste tam potenti per-

culſa animula cogitur effuge-
re. Ille ipſe eſt Libauius qui mi-
ratur à vobis præferri extractum
ellebori eius decocto, cùm ſi
longè ingratius & naturæ mole-
ſtius.

FINIS.

EXAMEN ANIMADVERSIONUM BAUCYNETI ET HARVETI.

Autore I. Riolano. F. Anat. & Pharm. Profes. Reg.

BAVCYNETO ET HARVETO I. RIOLAnus Fil. Saniorem mentē.

LEGI vestrarum Animaduersionum summa capita, totidem cōuitiorum plaustra quibus nō opponam conuitia, ab hoc enim scribend genere meus genius abhorret Nullus vnquam erit conuitiand finis, Bacchę bacchanti si velis aduersarier, ex insana insaniorem facies, feriet sæpius. Constitui comparatione vtriusque Medicinæ, Parisiēsis Scholæ de Alchymia iudicium confirmare, cui consilio iam, ni fallor, satisfeci. Superest

vt vestris obiectiunculis respondeam. Si tantum pro Chymicæ remediorum pręparatione depugnatis, eamque cum Schola Parisiensi Pharmaceutices partem esse concedatis, adeo vt Pharmacopęi illi vobis probentur, qui habēt officinas vtroque remedii genere instructas, vt possit Medicus quoties lubet, hæc vel illa pręscribere, & iam parata inuenire. Nostrę contentionis facilis erit conciliatio, dum modo careant officinæ metallicis purgantibus, metu periculi, ne perueniat acutissimus gladius in manus pueri: Contenti sint Pharmacopęj Tutbith vulgari, non habeant minerale: Prostet naturale rheum, non factitium illud seu minerale, ex vitro Antimonii, saccharo & croco, ad fucum: Scilicet viri vtriusque medicinæ peritissimi cum officinas

instruerent, remedia Chymica præterijssent si illa ad benè medendum necessaria iudicassent: Liceat tamen vobis Chymico modo paratis remediis mederi, vesci glande neglectis frugibus. At nouam medicinam inuehere, à veteri, principiis, causis, signis & remediis planè differentem non feret Schola eruditissima. Si placeat vobis ista Paracelsi, & eius simiæ Quercetani Medicina, aperui vobis campum amplissimum, Schola per suum Censorem sæpius denunciauit se Chymicas remediorum præparationes non omninò aspernari, sed artem proscribere principiis morborũ, causis, signis, & remediis planè dissentaneam. Quamuis quæ pręcessit vtriusque Medicinę comparatio, vestris obiectionibus possit abundè satisfacere, singula tamẽ capita percurrã.

PAG. 10.

Ate exordior Baucynete: Videtur tibi Antaruetus loquutus pugnantia, quod ſcripſerit ſe lubenter aduerſus Haruetum ſcribere, inuitum verò aduerſus Baucynenetum: Contradictio eſt eorumdem de ijſdem in eodem ſignificato.

PAG. 11.

Cur inſultas Platonicis, quos D. Auguſtin⁹ & Euſebius paucis mutatis ſcribunt eſſe Chriſtianos? Cũ ante Aphrodiſæum qui primus cœpit publicè Ariſtotelem interpretari, in ſcholis Philoſophorum Plato prælegeretur. Eccleſiæ primi parentes Platonis doctrina inſtituebantur. Audeſnè tot & tantis viris ſolius Eraſti authoritatem opponere?

PAG, 13.

Quid refert ſi Moſi vel Triſme-

gisto accepta feratur Alchymiæ inuentio, cum eadem causa à Cęsore proposita vtrumque sit falsum Scilicet summus imperator in regendo populo duræ ceruicis demittebat se ad fornacariam: Impostores, inquit Galenus, suas nugas adscribunt Trismegisto, vt ex antiquitate suis inuentis gratiam concilient: Quanquam Genebrardus firmissimis argumẽtis demonstret Trismegistum longè esse posteriorem Hippocrate, ne quis post hac ex Antiquitate Hermeticam medicinam pręferat Hippocraticæ. Cæterum vester Monarcha mauult Diabolo, quam Hermeti Alchymiæ inuẽtum acceptũ referre, quia sapit supra hominem: proinde illo authore verius Diabolica quam Hermetica diceretur.

PAG. 16.

Censor non ignorauit, Hippocratis de Democrito aliam fuisse sententiam quam Abderitarum: Ita enim subiungit, *Hippocrates tamen inuenit illum dissecantem*) quod est sapientis & videntis argumentum. Verum si verum sit illum sibi eruisse oculos, vt liberius philosopharetur, sane ex hoc solo confirmari potuit Abderitarum iudicium.

PAG. 19.

Magna contẽtione pugnatur, si formæ Physicæ sint substantiæ an accidentia: Nam si temperies sit qualitas, videtur esse Accidẽs, Respondetur esse quasdam qualitates essentiales, quæ sunt in genere substantiarum. Quid est homo? Animal. Quale Animal? Rationale. Ecce qualitas essentialis, quæ cum sit pars substantię, sine controuersia substantia est: Mille accidentia

cidentia ſimul iuncta non efficerent ſubſtantiam. ScheKius exiſtimat Craſim eſſe in eodem prædicamēto cū ſua ſubſtātia: Diſputatio tamē eſt nō leuis inter Ariſtotelis interpretes, An proprietates ſpecificę in eadē Cathegoria reponi debeāt: quia enī ſunt inſeparabiles à ſua ſpecie, videntur ad eandem Categoriam pertinere, quia verò ſunt qualitates ſecundi generis, ſeu naturales potentiæ, in accidentium ordinem referendæ. Stoicj qualitates eſſentiales non tantùm ſubſtantias eſſe putabant, verum etiam corpora. Illi enim corporum Phyſicorum duas differentias primas conſtituebant; vnum dimenſum quod cōſtat trina dimenſione, Alterum immenſum, quod illi πνευματικὸν, ſpirituale nominabant, quo genere ſuum ignem cuncta permeantem ſine

la penetratione dimensionum,
am bonos quam malos spiritus,
ormas quoque Physicas compre-
endebant. Spiritum enim esse
ıbstantiā vtriusquæ formæ Phy
cæ, Naturæ, & Animæ, hac tan-
um distinctione quod spirit⁹ hu-
nidior sit Naturæ substantia, sic-
ior verò Animę: quam opinio-
nem firmissimis argumentis refu-
tauit Pater meus Commētario ad
lib. Fernelij de Spiritu. Satisnè
potens est ista lux ad discutiendas
tuarum quæstionum tenebras?
Σκότινος ScheKius potuitnè ex-
plicatius?

PAG. 23.

Animalia quædam sunt Terre-
na, qnædam Aquatilia, quædam
Aeria, Amphybia cuius generis?
Quæcumque occurrunt homini,
vel occurrunt vt Alimenta, vel vt
Venena, vel vt Medicamenta,

quia vel illius naturam conseruan vel corrumpunt, vel immutant. A lexipharmaca quo genere cont nentur? An quia conseruant, ad A limentum referri debent? A quia immutant, ad Medicamen tum? Ad neutrum, sed potius a Venenum, quia illo definiuntur; Nam vt notatio nominis indica nihil est Alexipharmacum quam veneni remedium; neque nos im mutat vt medicamentum, neque nos conseruat vt alimentum, per assimilationem scilicet, sed quia defendit nos à malitia venenorũ. Miror vos de re nihili tot rixas excitasse,

vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.

PAG. 26.

An amara omnia calida?] Estnè amaror fidelis nuntius caloris? Ita placet Galeno, Auerrois lib. 5.

collectionum obijcit multa: in-
primis Cicutam & Opium esse val-
de frigida, nihilominus amara.
Medici melioris notæ pro Galeno
respondent multis modis: Alij a-
mara omnia dici calida, quia ama-
ror fit à calore intenso vel remisso,
Aloës & Absynthij ab intenso,
Cicutæ & Opij à remisso: Alij vix
dari mistum quod naturis & qua-
litatibus diuersis nō sit præditum,
proinde non esse mirum si cicuta
& opium partim sint calida, par-
tim frigida, remissè calida, inten-
sè frigida Contra obijcitur ex Ga-
leno ipso, hominem temperatum
esse mensuram calidorum & fri-
gidorum: Dicitur enim calidum,
quod hominem temperatum ca-
lefacit. Atqui cicuta & opium tan-
tum abest vt calefaciant, cum sum-
mè refrigerent: respondetur vt
tantillum fellis aut aloës liquorem

copiosissimum reddit amarum, I[illegible]
gustum à pauco amaro potent[illegible]
affici, proinde in quibusdam int[illegible]
si, in aliis remissi caloris esse sign[illegible]
In Opio pauci & occulti, in Alc[illegible]
multi & manifesti. Quæ ni, fall[illegible]
Valeriolæ obiectionibus satisfa[illegible]
ciunt, quibus existimat se Galen[illegible]
erroris conuicisse Enarrat. 4. lib
1. Quod autem cicuta & opium
stupefaciant frigore hoc certò de
monstrat, quod Theriaca recen[illegible]
fit narcotica, vetus longa fermē-
tatione à calidis retuso frigore, ca-
lefaciat, Idem in Philonio expe-
rimur, recens enim stupefacit, ve-
tus eadem causa qua theriaca ca-
lefacit: Si stupefaciant vi occulta,
cur frigidis morbis funesta? Cur
stupori calfacientibus, tam sum-
ptis quam admotis medemur, nō
refrigerantibus? Proprietas oc-
culta est asylum ignorationis, ad

quod numquam confugiendum
est nisi manifestæ qualitatis inue-
niendæ extrema desperatione.

PAG. 31.

Argutè sane: Proprietates sunt
inseparabiles, ergo incommuni-
cabiles: Calor inseparabiliter co-
hæret igni, estque illius non pro-
prietas modo, sed essentialis qua-
litas, calore enim definitur. Quid
est ignis? Primum calidum: Ergo
non calefacit, non potest suum
calorem obiectis impertiri: Bau-
cynete, quia remittis me ad parua
logicalia, scito quasdam proprie-
tates communicari saluo & inco-
lumi subiecto, alias non sine sui
subiecti detrimento. Primo mo-
do scientia, quæ est hominis pro-
prietas, (est enim æquè scientiæ ca
pax ac risus) incolumi subiecto cō-
municatur: At Plantis commu-
nione suarum proprietatum mul-

tum deperit: Rheum infusion, senna coctione, vim purgatricem amittunt: Quo illa abijt si non in liquorem?

PAG. 32. 33.

Controuersiæ nostrę præcipuum caput in hoc vertitur, An in diuisis principiis & separatis à toto essentiis, possitis eam vim & proprietatem retinere, quam habebant coniunctim. Proprietas manat à forma diffusa per materiam certo modo temperatam, istam temperiem dissoluitis: Dissoluimus equidem, inquis, sed reddimus vim & actionē meliorē: Scilicet quod erat natura tēperatū redditis intēperatū, Calorē moderatū redditis immoderatū, quod natura fecerat benignū, & naturæ nostrę amicū redditis inimicū Aurū est amicum naturæ, vniones sunt cardiaci; Essentia auri, quia fit cum

corrosiuis, est plena periculi, essẽtia vnionum est periculosissima: Res naturales vestra arte fiunt cõtra naturam, non aliter quam calor natiuus quando vertitur in igneum. Nostras proprietates esse naturæ magis cõsentaneas videor iam demonstrasse in comparatione vtriusque præparationis.

Nos purgantia plurima]. Quoties monuit Censor Scholam non improbare omnes preparationes Chymicas, sed essentiarum præsertim purgantium de metallicis extractiones: queritur sales, sulphura, mercurios præcipitatos nimis precipitanter à vestris prescribi, cum suppetant clementiora & tutiora.

PAG. 34.

Andernacus monet Crocum Martis paratum igne flagrantissimo esse periculosum, nisi multa

aqua illius ardor temperetur: ne-
ster est tutior. Quærebatur si esse
Chymicum inuentum, Respon-
des parari à vobis aliter quam so-
leat à nobis, nempe igne flagrā-
tissimo: Sciebamus hoc & si non
dixisses: Omnia enim redditis i-
gnea: Est vestrum hoc, idest in-
fernalis spiritus inuētum. Deus &
natura gaudent moderato calore
quo generant, & genita conser-
uant omnia: Ars & peritus artifex
ad vtriusque imitationem, quan-
tum fieri potest sese componunt:
At vstulator spiritus docuit Para-
celsum igne flagrantissimo vrere
omnia, vt prodeant in lucem qui
in materiæ mineralis sinu delites-
cunt spiritus, maligni, venenati,
deleterij.

PAG. 35.

Salsis nutriri viuentia] Querceta-
nus affirmabat viuentia constare

ibus principiis, sale, sulphure, & mercurio: quod cum videret Cēsor magni esse momenti, quia hoc destructo fundamento sequitur falsum esse quod ille ponit, vt necessariò consequens, Quoties sūt in vitio, quantitate scilicèt peccant aut qualitate, toties fieri morborum causas: frustra enim ponitur contra naturam, nisi prius fuerit positum secundum naturam.

Refellitur eadem opera quod ille ponit vt alterum consequens, simile simili, salemque naturalem sale medicinali suæ naturæ & integritati restituendum: Ergo hoc veluti fundamento cum ferè tota Alchymia nitatur, An sal sit principium essentiale & constitutiuum rerum naturalium, illo destructo ruunt ea quę ponunt necessariò consequentia. Opponebat Censor plurima argumēta, vt ista prin-

cipia sentiri, esse mista, proinde
elementis posteriora: occidere
omnia in ea ex quibus orta sunt,
nihil in hæc tria naturaliter occi-
dere, neque enim sulphur redd
sulphuri, sal sali, quemadmodum
igneum igni, terrennm terræ: In
Cimeteriis publicis nihil tale ob-
seruari. Ista omnia muto silentio
inuoluis, quia veritas tam perspi-
cua non potuit tuis argutiis ob-
scurari: Insistis tantum in vltimo
argumento. Iis nutrimur quibus
constamus, non nutrimur sale, er-
go non constamus sale præsertim
Chymico de quo quæstio erat:
Est enim artificialis, non natura-
lis: Non potest autem artificiale
esse principium rei naturalis. Vm-
bri, inquit Aristoteles, inopia sa-
lis naturalis artificialem conficie-
bant, coquebant arundines in a-
qua, quam exponebant soli, sic

concreſcebat in ſalem: Eruntnè Vmbrorum ſales artificiales, Chymicorum naturales? Cur ita, niſi quòd Vmbri ſuos efficiebant ſolaris caloris miniſterio ex certa aqua Chymici caloris artificialis opera conſumpta aqua? Opto tibi ſalẽ pro alimẽto cuius vſu pingueſcas vt pecora apud Plutarchum: ſerua tibi illum quem agnoſcis tui ortus parentem, erit mihi tantũ pro cõdimento.

Cur Peripatetici ſaporem pinguem comprehendunt dulci, cum differant ratione? An quia vtriuſque idem temperamentum, nempe temperatum? An quia guſtus percipit omnia ſub ſpecie quadã dulcedinis aut amaroris? Illa oblectant, hæc contriſtant, ideo dulcis & amarus ſapor videntur illis ſapores extremi, At pingue inſi-

gni dulcedine gulam oblectat, ergo ad dulce non abſurdè referri poteſt.

Cæterum humore primigenio partes omnes nutriuntur, hunc continenter abſumit natiuus calor, cuius defectum ſupplet alibilis, vterque congener: vſu ſalſorum & amarorum auctus calor natiuus citi⁹ ſuum pabulum abſumit, ideo ſola dulcia nutriunt, ſalſa & amara nutritioni ſunt inepta.

PAG. 18.

Aduerſus hanc propoſitionem, Omne animal mandit mouendo maxillam imferiorem, non indiuiduum, ſed crocodili ſpecies obiicitur, An propterea deſinit eſſe vera? Quia naturæ vt artis maieſtas conſiſtit in operis varietate, id circo vix quicquam eſt cõſtans & idem ſemper in toto genere: Quotidie medici obſeruant

multa regulis communibus pugnantia, quæ reponunt inter artis parerga.

PAG. 40.

Sales in mixtis vt elementa] Elementa actu & reuera sunt in mixto, quia tandem in ea resoluitur: Natura reddit ignem igni, terram terræ, dicuntur inesse potentia, quia vni nempe victrici qualitati mãcipãtur, nõ insunt cũ suo actu, Acceditquidem ignis calidissim⁹, sed calor à suo contrario retunditur. At sales Chymici aut nullomodo insunt mixtis sed fiunt, aut insunt eo modo quo Anaxagoras volebat omnia esse in omnibus, potentia si non proxima, saltem remota: Quomodo lapis potentia est homo, est bos, quidnon? postquam enim abierit in elemẽta, fieri potest vt ex ijsdem ad numerum elementorũ portionibus

fiant bos & homo. Cæterum putabat Cenſor ſibi rem eſſe cum patronis Alchimię Quercetani, quæ ſola repudiatur à tota Schola, ſi nõ probetis, cur eius cauſam ſuſcipitis aduerſus ſcholę decretum?

AN CHYMICORVM OPERA SAL, SVLPHVR *mercurius, quintæ eſſentiæ, aquæ ſtillatitiæ, vt aqua vitæ ſint res naturales vel artificiales.*

OPvs naturæ dicitur, quod fit à natura ex duobus principiis naturalib⁹, materia & forma: Atqui aquam vitæ natura non efficit, ſed ars vini euaporatione, Metaphorſis aqvæ in aerem quę quotidie fit

à ſole eſt naturalis, quia fit naturaliter ab efficiente naturali, At trāſmutatio vini in aquam, aut roſarū in aquam cognominem, eſt artificialis: quia fit arte ab artifice, ſi mauis induſtria artificis: Aquas deſtillatas inter opera naturę nullus Phyſicorum numerauit, ſed medici eas inter remedia arte parata recenſent, quemadmodum & cætera arte compoſita, quibus materiam quidem ſuggerunt ſimplicia naturalia, ars compoſitionem, quam ſequuntur forma, vis, & actio compoſiti.

Deinde id ſolum merito dicitur opus naturæ quod mouetur inſito principio, αὐτόματα enim, vt horologia, non mouentur ingenito, ſed aſcititio principio: Atqui vires & actiones operum Chymicorum procedunt à principio externo, Aut acceſſit aliundè exupe-

rans calor aquæ vitę (exuperantem appello, quia ſuperat calorẽ vini à quo proceſſit) aut eſt natiuus mutatus in igneum, non eſt ille congenitus vino, aut à natura inſitus, ſed aduentitius, vis alia, medica potius, quàm alimentaria, actiones differentes.

Tertiò, cum quidpiam ſeruat ſuam naturam, ſeruat ſuum nomẽ & definitionem; Atqui materia aquarum ſtillatitiarum perdit cum forma nomen ſuum & definitionem. Aqua vitæ non eſt vinum, neque illi competit definitio vini, eſt aqua arte facta ex vino per euaporationem; ergo non eſt opus naturæ, ſed artis, natura non genuit aquam vitę, ſed ars effecit ex vino deſtillato.

Præterea intenſio & remiſſio (in accidentibus, non in ſubſtantiis) faciunt ſpecies differentes: calor

enim exuperans differt ſpecie à moderato, vt febrilis à natiuo, Prodigus, liberalis & auarus verſantur in dando, differunt ſola intenſione & remiſſione: Actiones intenſæ, remiſſæ & deprauatæ ſunt contra naturam, quia non tenent eum modum quem natura ſingulis præſcripſit: Atqui operũ Chymicorum actiones ſunt intenſæ vel deprauatę, intenſus calor ergo contra naturam, tantumque abeſt vt ſint naturæ, cum ne artis quidem ſint opera: An ignis quem fouemus ligno in caminis ſit naturalis, cum neque ſit cœleſtis nec elementaris, diſputatum eſt in vtriuſque Phyſiologiæ comparatione.

PAG. 42.

Natura non eget conformatione] Formarum Phyſicarum duæ ſunt primæ differentiæ, Natura, & A-

nima. Anima animatorum, Natura
in animatorum forma: vt respon-
deant primæ differentiæ formarũ
physicarum totidem primis diffe-
rentiis corporum naturalium, si-
miliarum, vel organicorum. Ani-
ma est forma corporis organici,
Natura similaris. Sola cõformatio
facit instrumentum, proindè sola
anima informat corpus confor-
matum: Sunt autem tres facul-
tates animæ, naturalis, vitalis, &
animalis. Naturalis non aliter quã
natura contenta est bona tempe-
rie partium similarium, imo & or-
ganicarum ad edendas suas actio-
nes. Animalis verò & vitalis re-
quirũt preterea legitimam instru-
menti informationem: Obiectio-
nes, disputantis produnt inge-
nium.

PAG. 49.

Cur M. Tullius mauult errare

cum Platone, quàm cum aliis benè sentire? Cur Plutarchus eos qui in Aristotelem scripserunt, etiamsi probabiliter scripserint, tamen propter audaciam & temeritatem è scholis philosophorum excludit? Vtinam præ foribus Scholarum Medicarum hoc inscriptum legeretur! Medicorum titulo indigni iudicentur quicumque Hippocrati & Galeno, quamuis probabiliter, contradicunt. Quis esses, tu? qui mauis vxori Rōdelitii fauere, quam Hippocrati, Aristoteli, & Galeno?

AN AQVA NVTRIAT.

PAG. 50.

QVÆSTIO erat aduerſus Quercetanum, ſi aurum potabile nutriret, Cenſor duobus argumentis quæ non eſt neceſſe repetere, demonſtrabat nutrire non poſſe; de quibus tu nullum verbum. Duobus illis acceſſit tertium, Nihil nutrit quod non vixerit, in quo ſolo inſiſtis: relicto trunco totus pendes è ſurculo, caue ne cadas.

Iis nutrimur quibus conſtamus, Piſces non conſtant ſola aqua, ergo neque ſola aqua nutriri poſſũt. Hoc argumento motus Ariſtoteles ſcripſit, vnico elemento nihil generari & nutriri poſſe: Pluuia

quidem nutrit plantas, sed est meteorum aqueum, nutriunt aquea, non aqua. Quando probat Rondeletius aquam quæ nutrit pisces esse mixtam, quid aliud docet quã aqueo pisces nutriri nõ aqua? Humor alibilis debet esse aerius vt sit congener primigenio, cuius iacturam resarcit: Sãguis prius vertitur in gluten, quàm nutriat. An non pisces nutriuntur sanguine, quamuis aquosiore? Aristoteles scribit eos idcirco esse vitæ breuioris, quòd habeant humidum radicale aquosius, cui non dubito alimentarium sanguinem esse similem, non aquam. Natura, quæ nil facit frustra, piscibus vt cæteris animantibus dedit vesiculam & lienem ad repurgandum sanguinem, vt toti distribuatur purior & defœcatior. Quis vsus istarum partium, si aqua nutrit quatenus

talis? Omnis coctio quæ præcedit nutritionem, fit incrassando, à qua coctione nõ crassescit, ergo non nutrit. Serum est vehiculum alimenti, defunctum hoc officio remeat ad venam cauam vnde emulgetur, non retinetur à parte vt alimentum, sed ablegatur vt excrementum: A dominatu humoris aquei ferè omnes morbi, senectus, mors. Constant pisces vt nos, partibus, humoribus, & spiritibus, quorum perennis dissipatio quidni reparãda quoque aere, cibo, potu, siccũ sicco, humidum humido, spiritus spiritu? Aduersus tot & tam firma argumenta quid obiicit Rondeletius? Experientiã. Cuius? vxoris suæ. Ego peto masculum argumentum: Iudex non credit fidei vnius testis præsertim mulieris: Fũctus est Rõdeletius officio boni mariti, mali philosophi,

qui maluerit vxori fidere quàm Hippocrati, Ariſtoteli, Galeno, rationi.

PAG. 58.

Semina animalium non dices vixiſſe, quæ tamen continent vitæ ſeminarium non præcedentis &c.] Qui animam à parentibus traduci cum ſemine exiſtimant, & ſemen ſibi domicilium efficere, non tantum potentia, ſed actu putant ſemen vixiſſe, non tantum habere à parentibus ſementẽ vitæ ſed vitã: Seminariũ precedentis, id eſt ſuæ, vitæ, parẽtes ſemini contribuunt.

EAD. PAG. 58.

Maior eſt affinitas viuentium & eorum quæ vixerunt inter ſeſe, quàm cum iis quæ numquam vixerunt, quia formarum maior eſt ſimilitudo; Accedit propius ad ſimilitudinem rationalis animi ſentiens, quàm vegetans, vegetans

verò

verò ad ſentientem, quàm quod natura neque animæ neque vitæ voluit eſſe particeps. Equidem dari poteſt aliquod inanimatũ naturæ noſtræ ſimilius aliquo animato, ſed propoſitio iſta, viuens eſt ſimilius viuenti, vt plurimum, ſi non ſemper, eſt vera, quod eſt ſatis ad confirmandam veritatem Phyſicæ propoſitionis.

PAG. 62.

Verum eſt canditate &c.] Agnoſcis hæc pro tuis?

Aqua nutrit piſces, quæ non vixit,
Aqua generat vermes, quia continet
vitæ principium.

Poteſtnè aqua continere principium vitæ, poteſtnè generare vermes & non viuere? Cæterum verum eſt vermes in aqua generari, ex aqua, falſum: quia ſunt animalia terrena.

PAG. 65.

Taceo quod ais]Aqua noſtra ad ſa-
tem animantium miſta eſt, ele-
nentaris verò ſimplex & immixta
Phyſico concipienda eſt, alio-
quin differentias elementorum
explicare non poſſet: miror te to-
ies tam puerilia obijcere.

PAG. 66.

Pyrauſtas Antaruetus epheme-
ras appellauit, quia ſi viuant, vix
momento viuunt, eo ſenſu quo
Medici febres quæ citò diſparent,
appellant ephemeras. Non inqui-
ram curioſius ſi poſſit in fornacũ
igne flagrantiſſimo animalculum
vllum viuere, cum viuaciſſimum
animal in fornacem proiectum
mox vita priuetur. Malo credere
Ariſtoteli, quàm in Cyprum na-
uigare, vt ſenſuum fide illius au-
toritatẽ refellam: Idem enim mi-
hi redeunti obijceres, quod Sca-
liger Galeno, Non erant tum, non

ſatis diligenter fornacarios interrogaſti, & cætera quæ obijcit homini miraculorum naturæ diligẽtiſſimo ſcrutatori. Vita eſt permãſio caloris in humido pingui & temperato: Poteſtnè cogitatione fingi aliquod viuens quod duret in fornacum igne ardẽtiſſimo? poteſtnè metallum liquatum animare aut animari? Poſſum Ariſtotelem Ariſtotelis autoritate refellere: Scribit enim 4. Meteorôn ſe nullũ animal nouiſſe quod viuat in aere; multò minùs quod viuat in igne: Vltimo cap. lib. 1. de Anima, Si ſpiritus diffuſus eſt per vniuerſum, quidni generat in aere? Et vlt. cap. 3. de Anima, nullum animal viuere poteſt abſque tactu, cui ſenſorium oportet eſſe temperatum, proindè pugnant viuens & corpus ſimplex.

AN SPIRITVS MI- NERALES SINT ANA- *logi cœlestibus.*

PAG. 73.

QVANTVM differt salubre ab insalubri, benignum à maligno, beneficum à malefico, vitale à deleterio, tantum differunt spiritus minerales a cœlestibus: quod cum effectis & experientia verius comprobetur quàm ratione, maleficia autem infernorum spirituum non possint verius quam authoritate Chymicorum primæ classis demonstrari, eorũnitar authoritate. Crato quã sit periculosus vsu Antimonii infinitis exẽplis demõstrauit.

Spiritus vitrioli eodem authore erodit vasa quibus includitur, vrit attrectantem, tantum abest vt parcat stomacho: Copiosa aqua dilu-

tus videtur refrigerare, quia acidus, relinquit tamen malam diathesim in partibus nobilibus, Nã vitriolum nõ aliter quam acetum est acidum & acre, Acrimonia gustu manifestè percipitur: spiritus linguam non vrit, quia instar fulminis propter tenuitatem, spongiosam, linguam peruadit, solidioribus partibus adhærens.

Amatus Lusitanus meminit cuiusdam Monachi, qui ea die qua sumpserat vitriolum cum horrendis cruciatibus interiit: Gaspar⁹ Hoffmanus insignis Chymicus, vidit multos qui ab vsu spiritus vitrioli pulmonum frustula excreuerunt, *Audiui*, Inquit *vicinos morti suam temeritatem deplorantes, & magnis vociferationibus seipsos detestãtes præ dolorum immanitate, qui interiora sibi vri & exedi exclamabant.*

Pictor quidam insignis sperans

ſe podagram depulſurum oleo vitrioli, ſedulus erat in illius vſu, verum ante obitum in poris omnibus per totam ſuperficiem corporis, veluti cuſpidibus acuum ſe pungi miſerabiliter conquerebatur.

Præcipitatus Mercurius eſt deterior crudo, quia fit cum aquis corroſiuis, lotura quidem & infuſione mitior reddi creditur, ſed non deſinit eſſe lethalis. Libaui? contra Grammanum.

Eadem cauſa Marſilius, autore Vlſtadio, damnabat ſpiritum auri, qui præſtãtiſſimus perhibetur: Andernacus pernicioſum eſſe affirmat & venenatũ Dialogo 5. Eſſẽtiæ Perlarum doſis vna gutta, autore Paracelſo, quã ſi quis excedat, periclitabitur, qua doſi plurimos interijſſe affirmat Libauius loco dicto, vbi Chymicas quidẽ præ-

parationes magna ex parte proba-
quas non omninò Schola repu-
diat : Paracelsi verò, Grammani,
& Quercetani Alchymiam tan-
quã capitalem pestem detestatur,
Si auri & vnionũ spiritus sunt ma-
lefici qui omnium perhibentur
præstantissimi, de cæteris quid
sperandum? possuntnè esse male-
fici & cœlestibus analogi? Metal-
lica cruda sunt venenata, vt no-
uissimè demonstratum; Atqui, au-
thore Libauio, venenum habent
in spiritu non in crassamento, er-
go temerè sudant in venenis ex-
trahendis: sunt venefici, non Me-
dici, qui tales spiritus exhibent.
Accedat quòd non possunt extra-
hi nisi igne flagrantissimo, quia
moderatus nullum ius habet in res
tam duras. Atqui ignis ardens om-
nia reddit ignea, in se tranformat
omnia Ab igne vt agẽdi, ita nocẽdi

celeritatem accipiunt spiritus minerales: ergo infernales isti spiritus à cœlestibus tãtum distant, quantum inferum à cœlo.

Cæterum nil æquè mirabile ac modus mistionis, qui, authore Galeno, soli Deo & miscenti naturæ cognitus est: Inde enim innumerabiles rerum species procedunt, hinc indiuidua eiusdem speciei numero infinita, quorum tam sunt differentes vultus vt vix duo præ se ferant facieį eadem lineamenta. Hinc eiusdẽ animalis innumerabiles particulæ naturis differentes: Stupidus sit oportet, qui hæc non admiretur. Effectus autem quia patent sensu, non admodum miramur. At occultam caussam, nempe modum mistionis suspicere & demirari cogimur: Vndè tot & tam admirabiles rerum

proprietates, quæ occultæ à Physicis perhibentur, si non à modo mistionis? Philosophia perhibetur filia Thaumantis, quia tum primum cœperunt homines philosophari, cum cœperunt mirari. Non miramur quæ sensu aut ratione cognoscimus (cessat enim admiratio re cognita) sed quæ neutro modo cognoscimus, vt primas rerum causas, magna cum admiratione suspicimus: Modus mistionis est proxima rerum naturalium causa, ad quam non aliter quam oculus noctuæ ad diurnum lumen solis, noster intellectus caligat: Est igitur modus mistionis supra omnia mirabilia admirabilis. Nihil est quod magis nos perducat ad cultum & admirationem Dei, quàm incomprehensibilis modus mistionis, ex quo tanta rerum sublunarium varietas

Ar vos hoc principium & funda-
nentum tot miraculorum, igne
lagrantiſſimo deſtruitis. Dogma-
ici verò calore blando & natura-
i analogo in liquorem alliciunt;
Ergo Dogmatici ſunt naturę pri-
mogeniti filii, Chymici verò eiuſ-
dem capitales hoſtes.

vide pag: 196.

præſtant quod non poſſint ordinaria? Paracelſus exiſtimat indignum titulo medici, qui non poteſt confirmatos elephanticos per ſanare, Ecquot ab eo ſanati memorantur, Roch Ballifius Chymicus magni nominis Paracelſi remediis coram Senatu recepit ſanandos quotquot à Schola offerrentur elephanticos. Deſignatus à Senatu Præſes Briſſonius, partim inquirendæ veritatis, partim boni publici ſtudio, curationi interfuit: Natus eſt ridiculus mus, calidorum vſu reddidit leproſiorem, propterea tanquam impoſtor Senatuſconſulto vrbe pulſus fuit. Tu non es tam audax pollicitator: vtinam; Nihil enim tam dedecet medicum, quàm Chymiſtis familiaris impudentia.

PAG. 111.

Medicamenta media ſunt inter

alimēta & venena, non corrūpunt naturā noſtram, vt venena, neque eandēconſeruant vt alimenta, ſed immutant vi alteratrice, aut purgatrice: Purgantium quædam sūt benigna, Aliamaligna; εὐηθείας aut κακοηθείας homo eſt mēſura; Id enim quod naturam noſtram conturbat & exagitat, malignum & exagitatorium nuncupatur, eoque cenſetur malignius, quo aſſumptum maiores in corpore turbas excitat: Talia ſunt Elleborus, Colocynthis, elateriū, Thymelea, &c. quibus id circo vetat nos vti Meſueus, niſi diligenter correctis: Cardiaca, inquit, illis ſunt immiſcenda, quę cor ab eorum tanquā à venenorum malitia defendant. Democritus apud Meſuen (quem ego fuiſſe Medicum Alchymiæ peritum arbitror, non illum Hippocrati contēporaneum) præter

Alexipharmaca iubet illis immi-ſceri quæ exuperantem ſi quam habent qualitatem retundant. Malitiã idem Meſueus docet dignoſcere effectis, quia negligentius correcta, aut paulo maiore doſi exhibita, grauiſſima inducũt symptomata, febrem, dolorem capitis, vertiginẽ, viſus obſcuritatẽ, ſuperpurgationem &c. quibus ſingulis vt ſit ſuccurrendum, ſigillatim exponit.

Hos Meſuei canones etiam tyrones norunt, quos cum ignores, Doctor eximie, poteſtnè tua inſcitia pro merito ſola ferula caſtigari? Tam graue eſt peccatum in Medicina negare quædam remedia eſſe benigna, alia maligna, quàm negare morbos quoſdam eſſe benignos, alios malignos. Maligni enim morbi definiuntur, quos grauiſſima comitan-

tur ſymptomata ; Medicamenta vero maligna, quæ grauiſſima inuehunt ſymptomata. Hæc cum ignores, tamen veluti parta victoria cum inſulſa & incongrua hac loquutione triumphas (niſi Schola te caſtigauerit (quod medicamenta quædam maligna conſtitueris) digna eſt quæ in eternum ſuſpicetur) *Et quid aliud ſuſpicetur Schola eruditiſſima. quæ nil niſi terſum & politum audire conſueuit, quam tibi aures eſſe Aſininas, Therſites caput, Os putidum & incongruum, Animum furijs agitatum.*

PAG. 112.

Dic an exiſtimes extractum Rhabarbari &c.] De veſtris extractis quæ fuerit ſententia Libauii iam expoſui, de quibus ille alio loco: Rarò dantur extracta niſi diluta, priuãtur naturali corpore vt veſtiantur

alieno: Censoriam monuit nob-
licuidam exhitum fuisse rhei e-
tractum à Chymico primæ not-
pro quo nō dubitauit triginta a-
reos exigere, nihilomagis co-
motam aluum æger conquest-
est, quam si (vtilius vtar verb-
stercoris caprilli quinque globul-
assumpsisset; Vocatus Censor p-
scripsit decoctum sénæ in quo
rhei infudit: Inde plus emolum-
ti sensit pretio triginta assium, q-
ab extracto triginta aureorū: T-
ti pœnitere. Extracta commun-
sunt sales Vmbrorum, quibus n-
potius vti velim cum loc⁹ erit i-
fusioni, quā sale Vmbrorū, cū su-
petet naturale: Hæc tamē Sch-
la Parisiensis non reprobat, sin-
vos vestro modo insanire: Extr-
cta violenta quæ fiunt igne flagr-
ti, cuiusmodi sunt essentiæ min-

les, odit angue peius, propter
usas commemoratas.

Porro Florẽtinos nil moror; tu-
or via semper præferenda. Tuti⁹
t vti elleboro correcto: Decocto
pe & fœlici successu vsi sumus
primaria seu cerebrali melan-
olia, substantia numquam nisi
ippocratis arte correcta tum
nobis in catapotia cogitur
non in catapotias) Rondeletius
ympheam & Amaranthum el-
bori putat esse antidotum. Va-
riola in Obseruat. conuulsos ab
leboro sanat syrupo de Nym-
hea in eiusdem aqua dissoluto,
uo remedio multos adiutos qui à
estris spiritibus conuellebantur
lurimi nostrũ experti sunt.

Nulla est pars Medicinæ in qua
agis sudarint maiores nostri, quã
corrigendis medicamẽtis, nul-

la medendi via certior & tutio
tu audes suadere incorrect:
Primi Medicinæ parentes mal
bant nos timidos quàm audace
Quando enim natura magis pr
pendet in vnum contrarium, d
flectenda est in alterum: Inclin
natura humana in audaciam, r
trahenda est ad timiditatem,
fiet vt teneatur medium.

Ceterùm, quando morbus p
stulat, audenter imperamus ex
gitatoria, puta cùm alicuius mo
bi, vt obstructionis contumac
sedes est in habitu; sed diligent
correcta. Cur nō malim correct
quàm incorrecta, cùm hęc & i
peræquè mihi sint ad manum?
traque prostāt in officinis, possu
quod lubet eligere.

PAG. 113.

Purgant similitudine substantiæ, e
go non accedunt ad naturam venenor

agister ni caueas discipulus pro-
io te iugulabit gladio. Cathar-
um, si nescis, debet esse simile
mori purgando, Scammonium
li, colocynthis pituitæ, ellebo-
s melancholiæ; Atqui humor
rgādus sæpe malitia summis ve-
nis non cedit. Nam atrabila-
is humor qui facit cancros vlce-
tos, tam malignus est, vt muscæ
ę illum gustarint, cōfestim mo-
ntur: Galenus docet exemplo
enstrui & putrentis seminis pos-
in nobis oriri teterrima venena:
rgo cathartica quædam sunt ma-
gna, & ad venenorum naturam
cedentia, imò venena, nisi cor-
gantur, Sunt benefica, inquis, er-
o non sunt maligna. Vipera est
asis Theriacæ, per se venenum:
orrecta, singulare Alexephar-
acum; solitaria, summum vene-
um.

Sæpe vnum venenum alterius est alexiterium, vt vipera elephãticis, cæteris venenum. Pudet me tam crassæ & supinæ ignorationis, qui nescias quo referatur catharticorum substãtiæ similitudo. Putasnè, Medicorum qui à Christo nato vixerunt ignorãtissime, Colocynthidis, scammonii, elaterii, euphorbij, Thimeleæ, chameleæ substantiam essesimilem humanæ, preterquam tuę, malignæ & venenatę nisi arte corrigatur? Vereor nè doctis videar ridiculus, quòd cũ homine tam ridiculo certamẽ instituam.

PAG. 123.

Hæc crambe, si contrarium vnũ possit ad alterum reuocari, toties non est recoquenda, ne docto lectori moueat nauseam.

PAG, 127.

In rheo vis duplex, alteratrix &

purgatrix. Illa à temperamento, hæc à forma, infunditur à nobis in aquis aut decoctis refrigerantibus vt calorem ſiccum temperemus. Addimus præterea ſpicã aut cinamonum, quamuis calida, vt illius vim purgatricem acuamus. Quercetanus vtrumque confudit, aduerſus quem Cenſor doctè & copioſè diſputauit: Cum ſit tuus cliens, illiuſque cauſam aduerſus Scholę Cenſuram ſuſceperis, cur illius paradoxis non patrocinaris? Cur reponis hanc crambẽ (Si Cathartica purgent calore, an formę seu ſubſtantiæ ſimilitudine) fit delectus humoris purgandi propter ſimilitudinem ſubſtantię,) Attractio verò fit à calore natiuo, adiuto à calore medicamenti.

Quæſtio erat de veris catharticis quæ purgant cum delectu, tu obijcis flores violarum & roſarũ (malim

(malim ſuccos) purgare, quos cõſtat eſſe frigidos. Quæ cum lego, neſcio ſi debeam δημοκειτίζειν, tuã in reprehendendo temeritatẽ ridere, An potius ἡρακλειτίζειν, tuam inſcitiam deflere: Audes tamen propterea doctiſſimum noſtræ Scholæ Cãdidatum, cuius nõ es dignus calceos tergere, omniũ hominum ignorantiſſimum, hoc eſt tuis titulis appellare. Ducit ſibi laudi quòd tibi, & tui ſimilib⁹ diſpliceat, quia vituperari à viro illaudato, laudari eſt: Ille tuas nõ pluris facit quàm meretricis contumelias, quia tales in obuium quẽque quotidiè vomunt impuriſſimi ganeones, Socrates obduruit ad Xantippes iurgia.

PAG. 132.

Quemadmodum Ariſtoteles ea ſola vocat opera naturæ, quæ vel fiunt ſemper, vel vt plurimum: ita

recepta physica passim affimat
atis esse vera, si modo in pluribus
int vera; quod rarò contingit nō
utat in artem essereferendū. Ecce
heorema medicum: Non est acu-
us morbus sine febre (si tres ex-
ceperis, apoplexiam, tetanum, &
cholerammorbū, quos verius per
peracutos dixeris quàm acutos,
quia primo die sæpe iugulant, nec
terminantur more acutorum) At-
qui essentiæ Chymicorum, sal, sul-
phur, mercurius, tincturæ, elixi-
ria, sunt valde calida: ergo mor-
bis acutis, vt pote calidis ob adiū-
ctam febrem, non possunt esse a-
pta & accommodata remedia: Si
malis, Calidis morbis non con-
ueniūt calida remedia, Acuti mor-
bi, propter adiunctam febrē, om-
nes, tribus exceptis, sunt calidi:
Ergo acutis morbis non conue-
niunt Chimica remedia, non ex-

cipio choleram morbum, nec apoplexiam ſanguineam.

Rara, vt monſtra, non ſunt artis] Sit hoc theorema phyſicum, Omnis homo bipes, vel illud, Omnis homo binos habet oculos, Obiiciantur monoculi illi Mũſteri, quos fingit habere vnicum oculum in media fronte, vel planĩpedes illi qui vnico pede, eoque latiſſimo incedunt, quo ſe tuentur ab ardore ſolis. Reſpondebitur eſſe monſtra: eſſe naturæ errata, Atqui nõ ſunt rara, quia certa in regione tales naſcuntur omnes. Reſpondetur Ariſtotelem naturam aliquãdo definire ordinem vniuerſi; Aliquando cauſam ordinis in vniuerſo: Atqui illa ad vniuerſum hominum genus relata, ſunt rara, monſtroſa, extraordinaria: proinde neque regulam & ordinem naturę neque phyſicum præceptum re-

fellunt: Manent nihilominus hæ propoſitiones veræ, Omnis homo bipes, Omnis homo binos habet oculos, quia Phyſicus ſpectat naturæ conſilium & inſtitutũ, ex quo dependet ordo vniuerſi. Iſtæ delitiæ ſuperant ingenii tui captum nugiuendule; quid enim ſui cum violis & roſis? Subiũgam alterum forſan tibi notius exemplum: Sit hæc propoſitio vniuerſalis, Omnis homo eſt animal capax diſciplinæ: Obiiciantur, non Haruetus, à diſciplinis planè auerſus, neque qui accidẽte aliquo, vt morbo, delirant, phrenetici videlicet, aut melancholici, ſed idiotę, qui naſcuntur amentes; conſtat illos non eſſe capaces doctrinæ, manet nihilominus verum axioma phyſicum, quia rarò contingunt, ſunt errata naturæ, ſiue vitium fuerit in cerebro

frigidiore, siue in cranii mala conformatione, quę contigerit excessu, aut defectu materiæ, vel formatricis imbecillitate: Haruete pauca exempla non potius veritatem theorematis physici conuellunt, quàm montes & bathea rotunditatem terræ. Esto hæc propositio physica; Terra est rotũda, Obiiciantur excelsos montes & profundiora maris loca impedire illi⁹ rotũditatem: Respondebitur esse veluti næuos in facie ad totam terram comparata. Videorne distortis & monstrosis tuis argutiis fecisse satis? Illis non magis moueor, quàm fucorum bombis & inanibus susurris.

Monebis interim collegam tuũ, etiamsi verum esset aquam nutrire, tamen vnico exemplo principii physici veritatem refelli non posse: Aqua non nutrit quatenus

talis,ſed conuerſa in ſanguinem vbi accipit vitæ rudimentum: Sanguinea enim animalia ſolo ſanguine nutriri tam certum eſt, quàm vos de aqua nutriente ſomnia fingere. Cur non obiecit potius Metas (ecce hominum genus) & ſtruthiocamelos (ecce animalium ſpecies) multorum opinione, quanquam falſa, nutriri ferro? Monebis etiam illum librum Ariſtotelis de Hiſtoria mirabili, eſſe phyſicæ artis appendiculum, vt ſunt libri obſeruationum medicarum Medicinæ. Cur in Mathematicis artibus, & Metaphyſica nihil ſimile auditur quia præcepta Mathematica & Metaphyſica non ſunt obnoxia mutationibus loci, temporis, perſonæ, ætatis, ſexus, denique materiæ: Quidni? quia ab iſtis omnibus circumſtantiis Mathematici res ſuas abſtrahunt, quibus Phyſica, multo magis Medicina eſt ob-

noxia; quia quo ars in materiam & eiusmodi circunstantias magis inclinat, eò est inconstantior: Remedia quę in vna regione sunt salutaria, in alia sunt venena, siue spectes cœlum & solum, siue vtẽtem ægrum: Planta quæ erat in Perside venenata; translata in Ægyptum reddita est salutaris.

PAG. 134.

Essentiæ præsertim minerales, non possunt nisi igne flagrantissimo extrahi, qui conatur in se trãsformare omnia: proinde non possis negare istarum essentiarum extractionem esse similiorem vstioni, quam elixationi: Sales Vmbronum (extracta communia) qui negabit esse similiores vstioni, quãuis elixatione sint confecti, negabit esse sales. Miratur Libauius vos ita naturam refugere, vt nihil vnquam quale ipsa proponit exhibeatis. Vetant (inquit) vsum

medicinæ quæ nõ fuerit cõuersa in ignem: Qualia, si creditis Cratoni, vitam abbreuiant, etiamsi ad tempus prodesse videantur: Rationem subiungit, quòd longè superent gradum natiui caloris: Auxilia autem mediocria esse debeant. Simile quiddam scripsit Libauiꝰ aduersus Grammanũ, quod velim diligenter annotari. Solius est caloris moderati purum ab impuro separare, inquit, exuperans enim corrumpit: Declarat hoc familiari exemplo: ventriculus tẽperatus cogit homogenea in chylum, heterogenea verò vt fœces, separat, & ad sentinam amandat: Quod si fuerit calidior, assabit, nõ elixabit, corrumpet alimentum & malè nutriet: Videorne Cratonis & Libauii non modo authoritatibus, sed etiam rationibus decretum Scholæ confirmasse, quo

neque extracta vulgaria, neque
gne blãdo destillata improbãtu
sed quæ ardenti & febrili igne a
parantur, que vos pluris facit
quam quæ blando igne extrac
aut destillata sunt, ne dicam infu
aut decocta.

PAG. 137.

Natura priuata temperie man
otiosa, quia teẽperies si nõ est ve
& precipua causa actionis, vt place
Galeno, saltẽ est causa sine qua nõ
Fateris, quod negare non potes
secretione perire temperiem, erg
quæ remanet actio non potest
naturalis: quid reliquum est, qu
vt sit exuperans aut deprauata
Qualem esse authoritate, nec no
ratione Cratonis & Libauii noui
simè demonstraui: Vt non fit Mer
curius ex quolibet ligno, nec quo
libet ex quolibet, sed ex determi
nato determinatum, Ita forma

hysica non exercet suas operationes in quolibet subiecto, sed in eterminato, hoc est eo modo à atura temperato & conformato, ui conueniat propriis, & naturæ congruentibus actionibus obundis: Atqui dissolutione rei in ua principia, temperiem & conformationem violatis: Ergo non otest essentiarum actio esse naturalis, imò verò quia exuperans & eprauata, est violenta: Tibi displicet ista repetitio quia non possunt peritiores Chymici istis compedibus se extricare, qui possis tu mnium ignorantissimus?

Chymica qui negat esse suo temperamento & sua forma prædita, ignorat in erum natura nihil subsistere absque sua orma & temperie] Contendimus gne fieri intemperata, rei naturalis moderatum calorem verti in gneum, temperiem natiuam per-

dere, proinde natura sua spoliar
& acquirere alienam, cum intem
perie & calore immodico action
exuperantem.

Compositionum facultates non desi nunt esse naturales] Vt compositur est opus artis ex multorum sim plicium aggregatione artificia confectum, ita illius vis & acti est noua & arte comparata; sim plicia perdunt suas vires, & velut transeunt in alienam familiam forma enim compositi non est hu ius aut illius ingredientis sed con iunctim omnium, quam & si po namus esse naturalem ration simplicium, est tamen artificiali ratione formę & efficientis: Ve rum, quid hęc ad secretas essen tias? Ratiocinare hoc modo, Ma gnetis vis & actio naturalis est at trahere ferrum, electri paleam ossis milui piscis, si credimus Sim

ieio & Scaligero, attrahere au-
um: Separa materiam à forma, ex-
actus ſpiritus, & materiæ ſordi-
us liberatus, retinebitne vim fer-
attracticem? actio ſpecifica oſ-
s milui reddeturnè melior? Hæc
docueris, non habebis me dein-
eps repugnantem. De ſtercore
auonum, cranio humano, vngu-
Alces, ſemine poeonię remo-
e fæces & craſſamentùm, tolle
emperiem, collige ſpiritum, re-
anebitnè ſpecificum ad epilep-
am? non potius quam Magneti
is attrahendi ferrum: Nam cur
oc non aliud? de cæteris ſpecificis
ſummis rerum proprietatibus
uæ pendent ex forma agente in
biecto certo modo tempe-
ato idem eſto iudiciū.

PAG. 142.

Dic Candidate] Idem ex paracel-
o obiecit Quercetanus, cui reſ-

ponſum eſt nec tritici trituratio-
ne pani, nec vuarum expurga-
tione & expreſſione vino de pro-
pria natura, vi, & temperie quid-
quã deperire, imò ſubſtãtiã purio-
rẽ pro alimẽto exhiberi. Coquus
reiectis ſuperfluis, id eſt nutriendo
ineptis partibus, alibilẽ ſuccũ eli-
xatione elicit de carne, caro depo-
nit ſuccum in aquã blando calore
euocatum, quẽ aſſatione denſa-
tis poris in ipſa carnis ſubſtantia
ignis continet. Hinc illa quæ-
ſtio, ſi carnes aſſæ ſint ſicciores eli-
xis: Reſpondetur elixas partibus
externis humidiores, internis ſic-
ciores: Simili modo Pharmaco-
pœus reiectis ſuperfluis in decocto
& infuſo medicamentorum vim
purgatricem & alteratricem alli-
cit in aquam igne blando & tem-
perato: Infuſum rhei eſt calidum
ſiccum, Ecce temperamentum, in

quorem transfusum : Præterea definitè trahit bilem, ecce vis purgatrix simul cum temperamento in aquam transmissa : Imò verò alimenta ; quamuis triplici coctione alterata, nihilominus vim suā & qualitatē, tam alteratricē, quā purgatricē impertiunt; Coturnices enim nutritæ elleboro retinēt vim purgatricem : Gallinæ pasta ex viperina carne confecta, enutritæ si edantur ab elephanticis vniuersum corporis habitum in melius mutant. Caro iam à gallinis triinplici coctione alterata, Deinde ab elephantico totidem coctionibus immutata, retinet nihilomin⁹ vim alteratricem. Cur ita? nisi quod calor naturalis quia blādus & moderatus, rerum vires & proprietates conseruat, quas immoderatus corrumpit? Vita est permansio caloris in humido, quod

calor, quamdiu moderatus co
ſeruat, immoderatus vero ex
ſiccat, abſumit, Atqui eſſenti
minerales ſunt igneæ, ergo hum
dum radicale deſiccant, humo
remque vitalem breui conſumun
tantúmque abeſt vt auri ſpirit
producatur vita, cum illius vſu
frequenti neceſſariò abbreuietur
Preſtaret te iſta didiciſſe, quàm
tam ludicra quærere. Cur vos non
editis plumas auium, aut boum
cornua? Si pergas inſulſis iſtis io-
cis mihi ſtomachum mouere, reſ-
pergam illos ſale tam acri, vt te re-
mordeat.

PAG. 149.

*Quæ in plures annos conſeruãtur, exi-
ſtimaſne naturali facultate ſpoliata?*]
Eſt ſal duplex, naturalis, & artifi-
cialis, ſulphur duplex, naturale, &
artificiale, argentum viuum du-
plex, naturale & factitium: vtrũ-

que à sua forma diu conseruatur. Ædificium in multos annos durat, beneficio syntheseos quæ est illius forma, Elephantici viuunt cum sua intemperie, putasne quia viuunt, id circo natiuam temperiem retinere, naturam illis non esse deprauatam, calorem non esse alienum ? Essentiæ vestræ durant cum sua intemperie, cum suo calore immoderato : Vtinã nõ tã diu. vtinã nascẽtes morerẽtur, penderetq; earũ finis ab origine, viuerent hodie centum hominũ millia quos è viuis sustulerunt.

PAG. 149.

Cocta elixatio] Elixum plus minus coctum dici potest elixatione coctum, nemo vnquam nisi tui similis, id est rudimentorũ Physicæ planè ignarus in scripta retulit. In medico tolerabilior est solœcismus, quàm paralogismus.

PAG. 150.

*Cur ſeparationi denegatur quod mix-
tioni conceditur?*] Quæſtio erat ſi
in ſecretis à toto principiis, eadem
forma, vis, temperies, proprietas
remaneat, quæ erat in coniunctis.
Quidni, inquis, cum permaneant
in compoſito? Primò longè alia
eſt ratio compoſitionis, & ſecre-
tionis, quia ſecretione diruitur æ-
dificium, compoſitione nouum
ædificatur: Eſto tamen eadem ra-
tio: Atqui compoſitione noua
forma, noua temperies, noua a-
ctio acquiritur: Ergo te iudice fa-
cta ſecretione non permanebit in
ſecretis partibus ea forma, vis, tem-
peries, actio, quæ erat in coniun-
ctis. Præterea quærebatur ſi mix-
to naturaliter in ſua elementa diſ-
ſoluto permaneat in principiis à
toto ſecretis ea qualitas quæ erat in
coniunctis: Tu reſpondes de diſ-

ſolutione artificiali: Candidatus noſter ita diſputabat, Non remanet in elementis, quando natura ea ſecreuit à mixto ea temperies quæ erat in coniunctis: Quod ita demonſtrabat, Ignis erat in mixto moderatus, extra mixtum eſt ſummè calidus. Aqua in mixto calore temperata, extra mixtum eſt frigidiſſima: Ergo in partibus à mixto arte ſecretis multô minùs permanet ea vis & proprietas quę inerat mixtis.

PAG. 152.

Quam tu es importunus diſputator, cum nihil dicas, vis videri aliquid dicere: Homini creata ſunt omnia, his vtitur pro alimẽtis, illis pro medicamentis: Iugulat viuentia, plantas priuat vita, in ſuũ vſum: denique præparat omnia prout videt ex vſu ſuæ vitæ, ſemper tendit ad melius, numquam

si sapit, suis præparationibus
temperato efficiet intemperatu
ex moderato immoderatum: A
qui vestris prçparationib⁹ ex m
tis temperatis efficitis essentias i
temperatas; Ergo cum vestris m
tationibus fiat progressus ad fo
mam ignobiliorem, corrumpi
omnia; ortus vestrarum essent
rum est interitus simplex, ortus
cundum quid, iactura nobilio
formæ vt acquiratur deterior.

PAG. 153.

Gradatio est digna quç obseru
tur, quia est nota solidioris phi
losophiæ, & disputãtis prodit in
niũ. *Forma dat esse rei, introducitur materiã dispositã; dispositio est tẽperie ctionibus obeũdis cõgruẽs, proinde ge ina & congenita: Ergo cum extra in multos annos durent cum seu forn sunt genuina temperie instructa.*

Essentiæ habeant aliquam ter

[pe]riem, quam verius dixerim in-
[te]mperiem, an propterea retinent-
[ti c]ongenitam? Auri & spiritus
[au]ri estne eadem temperies? Vnio-
[nu]m estne eadem vis, quæ spirita-
[lis] earum essentiæ? Cęterum, quis
[ph]ysicorum præter te dispositio-
[ne]m materiæ ad excipiēdam for-
[m]am confudit vnquam cum tem-
[pe]rie, quam Galenus formam
[m]ixti solet appellare? Tēperies est
[co]ncentus mixtionis, mixtio mix-
[til]ium alteratorum vnio; Alte-
[ra]tio mixtiliū est præparatio ma
[te]riæ, quam sequitur temperies,
[h]inc forma mixti, si modo ratio-
[n]e differant. Potestnè præparatio
[m]ateriæ ad excipiendam formam
[co]nfundi cum forma? Deinde
[h]abeāt aliquam temperiem, eam-
[q]ue si vis naturalem, An proptere-
[re]a eam, quæ erat congenita & es-
[se]ntialis toti? Morbo aliquo, vt

lepra alba, vel nigra mutata tem
peries natiua, estne illa congeni
& essentialis, quam leprosi sani o
lim possidebant? Quoties te vide
cum candidato nostro philoso
phantem, videor audire Phormi
nem cum Annibale de armis di
putantem.

PAG. 154.

*Nihilnè nteresse credis inter hæc e
lla?*] Si quod minus videtur ine
se, insit; inerit quod magis: A
qui minus verisimile est actione
caloris in tenuiori subiecto van
scere, quàm minùs agere: Erg
si verum sit vanescere, verum e
minùs agere. Attamē de hac qu
stione aliàs superque satis.

PAG. 156.

Chymica non sola sumuntur, sed dilut
Sciebat hoc Libauius cum scrib
ret, essentias priuari à vobis su
naturali corpore, vt vestiantur

eno; Simile ſcripſit noſter can-
datus pag. 12.

PAG. 157.

Galenus docet quoties volum⁹
edicamentum ad partem longè
motam à ventriculo, veluti ad
lmonem peruenire, toties au-
ndam eſſe doſim; quia fieri nõ
teſt quin fiat virium iactura lõ-
ore ductu: Non poteſt ſpiri-
s liquore diſſolutus venarum
fractus peruadere integris viri-
us, Atqui plurimorum, vt eſſen-
æ perlarum autore Paracelſo, do-
vna gutta, quam ſi quis exce-
at, inquit ille, referente & pro-
ante Libauio, periclitabitur. At-
men augenda doſis, inquit Ga-
nus, quoties pars afflicta longiſ-
mè diſtat à ventriculo, Ergo ab
uſmodi eſſentiis toties vitæ diſ-
imen imminebit, quoties mor-
i ſedes erit in habitu.

PAG. 158.

Hæc fortaſſe rectè &c.] Diſputata eſt hæc quæſtio aduerſus Maiernum, qui tinctura coralli meliꝰ alui fluorem ſiſti, quàm corallo ipſo deffendebat: Nominati ſunt ægri quibus tincturam exhibuit infœlici ſucceſſu. Vulgus etiam in appenſo corallo ſiſtendi vim aliquam experitur: Verum aſtringat ſpiritus coralli, An æquè ac ſubſtantia? ex coralli vna libra vix vna drachma ſpiritus elicitur: Poſſitnè vna drachma ſpiritalis eſſentiæ, aſtringendi parem vim habere ac libra vna ſubſtantiæ? Oportet ita vnum alteri comparare, ſi modo arte veſtra incrementum boni publici procuretis.

PAG, 160.

Hac enim Tyrannide &c.] Vnicuique experto in ſua arte credēdum eſt. Non eſt ignorationis certius

argumentum, quàm à peritis artis dissentire. Quando authoris mentem assequi non possumus, accusanda est potius ingenii nostri imbecillitas, quàm illius doctrina criminanda: Tui similes sophistæ malunt reprehēdere quàm excusare, solent in sinistram partem omnia detorquere: Verum, quanto honore colendi sunt primi artium inuētores, doctè & eleganter docet Aristoteles in Metaphysico breuiore. Facile est demoliri, construere difficilimum.

PAG. 161.

An Sal, sulphur, & Mercurius sint principia rerum naturalium, & si nutriant, disputatum est à Cēsore aduersus Quercetanum, & à nobis in comparatione vtriusque Physiologiæ. Quid obijcis? Ignē quamuis causticum ingredi compositionem: Non fauet tuæ causę,

quia

quia temperatur à ſuo contrario
Sales à quo? Cæterum Bellenge-
rius vſu cauſticorum ſalium vſtu
interiit, nec potuit vllis refrigerã-
tibus ardor extingui: Quid reſpõ-
des tu, diſputator ineptiſſime? (*no-
runt tyrunculi incendium eſſe ſignũ dia-
betes pathognomonicum*) An propte-
rea inſeparabile illud incendium
cauſticis ſalibus fuit extinguẽdum?
Soleſne tu incendium incendio,
ignem igne, ſimile ſimili extingue-
re? Si tu eſſes Therapeuticæ rudi-
mentis leuiter imbutus nõ reſpõ-
deres, quod tuam & Mayerni cau-
ſam deſtruit, incendium eſſe acci-
dens inſeparabile à diabete, ſed
potius ex Aretæo, Auicenna, Trin-
cauellio, & aliis plæriſque doctis
aliquando ab intemperie frigida
excitari, cui cauſæ oppugnandæ
ſalibus cauſticis erat locus. Hæc
ſunt tyrunculis notiſſima, nec cã-

[c]didatis noſtris ignota, Poteſne tu [e]ſſe doctor candidati, & hæc vul[g]atiſſima ignorare?

PAG. 163.

Melius feciſſes, ſi nil obmutiſſes] Calx & cinis quia ſunt terrena,sũt frigida; At quia ſunt vſta, in vſtis autem omnibus igniculus permanet, idcircò dicuntur potẽtia calida. Quando reſpondes (*Ego non loquor de externo, ſed de interno frigore, quando aſſero cineres eſſe frigidos, eſne compos mentis?*) Cineres quantumuis refrigerati aut calefacti, deſinuntne eſſe potentia calidi? Cur calx & cinis affuſa aqua fumant? quia aqua eſt ſuſcitabulum latentis igniculi, educit potentiam in actum: Domine Doctor diſces ſi placet ex Galeno, vſta quamuis in cineres conuerſa non poſſe fieri omninò frigida, quia in aduſtis omnibus permanet ignis veſtigiũ quod tantum abeſt vt noua vſtio-

ne deleatur, cum potius augeatur: deponunt autem ſuum empyreuma lotione, ſic cineres miſſi in lixiuium tandem refrigeſcunt.

EAD. PAG.

Cur non dixiſti potius plura eſſe actu frigida quam ſubſtantia?] Ariſt. 4 Meteorôn, ſcribit vinum ſi ſpectes ſubſtantiam, eſſe aqueum (Empedocles finiebat aquam coctam in vite) energia verò eſſe calidum. Ecce ſus Mineruam, Haruetus docet Ariſtotelem propriè & philoſophicè loqui: Actus, inquit, & potentia opponuntur, Ergo Ariſtoteles debuit dicere vinum actu eſſe aqueum, non ſubſtantia, potētia verò calidum, Qui non potes loqui congruè, poteſne docere loquendi modum, ſummum dicēdi, docendique magiſtrum? feciſſes tu melius ſi obmutuiſſes.

PAG. 164.

Sanguis, si sit substantia aqueus non potest esse natura calidus] Non tantũ sanguis ratione spiritus calet, sed quia multiplici coctione est elaboratus. Ignauis quidem & timidis frigidus coit in præcordia sanguis, audacibus verò & iracundis feruet in corde. Poteſtnè tibi videri frigidus, qui audes Galeno colluctari, & Aristotelem docere velle artem bene loquendi? vtrumq; enim est Aristotelis, sanguis & vinum quamuis ad sensum substantia constent aquea, potentia tamẽ sunt calida.

PAG. 165

Exprobatio iacet humi, putet à candidato &c.] Frigidum quidem mordax, vt acidum, non erodens, quia erodere proprium est caloris, mordicare verò tam frigidorum, quã calidorum commune, siue διάβρωσις fiat à causa interna, vt acri & mordaci succo, siue ab externa,

EXAMEN ANIMADVERSIONVM Harueti.

PAG. 98

ANDROGEOS *occubuit cõfessus pag.* 100. *Censor morte puniendus*]

Indulge illi parem gratiam, fruatur eodem quo Androgeos priuilegio; moriatur confessus.

199.

Cogeberis] Hoccine est monstrũ, quod tu contendis esse legitimum ingenii tui fœtum, quia sit nouimestre? Etiam si illud in nonum annum presseris, est artis immane

& horrendum monſtrum, in Priſciani, & boni Niniuitæ contumeliam editum, quale ſi prodiret à trimeſtri Grãmaticulo, culimaſtigio expiaretur. Quid fiet ludimagiſtro qui Scholæ Pariſienſis cãdidatum recipit inſtituendum? Tam ſuaue eſt audire rudentem aſinum quam doctorem barbarè loquentem. In primis magiſter ſciat declinare nomina & coniugare verba.

Duo ſunt Pharmacopœj pręcipua officia, deligere, & præparare. Chymici ſuo modo pręparant remedia: ergo ſine delectu: Nego iterum, quia præferunt mineralia plantis & animalibus, eorumque partibus, Spiritualia Materialibus, vt habent ſuam præparationem, ita ſuum delectum.

PAG. 105.

Amara habent vim detergendi

Amarissima aloë detergit potei tissimè, detersam à ventriculo p tuitam vi sua purgatrice deturba: Quanta vi polleat detergendi ex periuntur Chirurgi in vlcerum cu ratione. Amara detergere etiar sartores norunt, quibus familiar est felle maculas eluere: Idem te stantur collyria è fellibus ad de tersionem oculorum instituta Quousque ineptis obiectionibu doctas aures fatigabis fumiuendu le? Nonne vides vt aloë priuata suo amarore priuatur ea vi & qua litate, qua benefacit ventriculo?

PAG. 106.

Quod est summum & præstantissimum in arte habetur locc finis, si non vltimi, saltem medi: seu destinati, quia ars & artifex eò contendunt: Atqui in medendo nihil præstantius, quàm partem affectam, causam, & speciem morbi dignoscere: ergo sit instar finis

n hāc cognitionem Medici gna-
iter incumbant, eò potissimum
ua studia & cogitationes referant
Alioquin Andabatarū more clau-
s oculis pugnabunt cum hoste
emediis quantumuis generosis.

Item, difficillima solent esse pul-
herrima, nihil hac parte Medici-
æ difficilius, itaque nihil pul-
chrius.

Tuus Syllogism⁹, qui sumit duo
media pro vno, est tam logisticus,
quā ista loquutio Ciceroniana (*Non
mirum est de Censore meliora non dice-
re*) flores sulphuris & Antimonii
tibi sunt notiores, quàm Cicero-
nis. Nisi possis melius maledicere,
tace.

109.

Si nihil aliud possint Chymica
remedia, quàm schirrum, Arthri-
tidem, Elephantiasim, aut Epi-
lepsiam incipientem sanare, quid

vt auripigmento, ſandaracha, myſi &c., quæ propriè διαβρώτικα nominantur, calida ſunt omnia. At δακνῶδες mordicans, nil vetat eſſe frigidum. Adeo ut acria ſint mordacia, nō viciſſim mordacia omnia acria. Hæc ſordent tibi nugiuēdule, quia tales lactucę aſininis tuis labris non conueniunt: Gryllus mauult in luto volutari, quàm in hominem reformari.

P A G. 167.

Dignus es flagris] Tu ne ciuē Romanum flagris cedes carnifex? nefas: In te recudetur iſta faba, ſcripſit Galenus acria perdere acrimoniā ſuam vſtione, quam cætera non acria acquirunt, ſed ſuæ doctrinę cauſam ignorauit, inquit impudentiſſimus Haruetus. Cur ita? propterea quod erat Alchymiæ imperitus: Vter dignior flagris, *A*n Galenus qui ſuæ ſententiæ nō potuit cauſam reddere, *A*n candidatus noſter qui non potuit alienæ? Hippocrates & Ariſtoteles erant Alchymiæ imperiti, proinde nō potuiſſent huius propoſiti cauſam reddere, An etiam digni flagris? Vidi furioſos multos & deliros, qui fureret, & delirarет magis quàm Haruetus vidi adhuc neminem. Candidatus pro Galeno hanc cauſam aſſignabat; Primum quæ

non sunt acria acquirere acrimoniam vstione; quia fiunt ignea & tenuium partium, quæ duo ad acrimoniam requiruntur; si malis, vstione humor rerum non acrium absumitur, quo acrimonia retundebatur, proinde redduntur acria. Sed cur acria vstione acrimoniam perdũt? quia calor in pauco humido radicatus dissipatur. In vstis solæ supersunt ignis reliquiæ: Atqui ad acrimoniã desideratur calor potens, saltem ad tertium gradum extensus, Ergo tu ipse dignus es scutica, qui tot tantosque viros supinæ ignorationis accusas. Quæ pœna lege in reum decernitur, cõuertenda est in temerè accusantẽ. Gaudet Cãdidatus noster se in tantorũ virorum societatẽ, veluti olim proceres Græcorum in equum Troianum, includi: Eãdem cum illis fortunam lubenter experietur. Ecquis pręter Haruetum tantorum virorum velit esse carnifex?

AN SINT ÆGRI CVRANDI SIMILIBVS.

PAG. 168.

OMNIA medicamenta benefaciunt naturæ afflictę, quia vel illã in statũ meliorẽ immutant, quæ alterantia nominantur, vel causa morbifica liberãt, quę cathartica nũcupãtur: Vtraque idcirco benefica verè & propriè dixeris, non similia. Interpretare naturam, temperiẽ, aut natiuum calorem, vt lubet, Scammonium, Colocynthis, Thymelæa, Chamelęa, Euphorbium &c. suntne alterutri

similia? An quia febrientis natiuus calor mutatus est in igneum, idcirco remedium calidum quærendum est, quod sit calori natiuo, aut febrili simile? refrigerās vtri símile? Catharticum debet esse simile humori morbifico, vt illu definitè trahat substantiæ similitudine, non aliter quā Magnes ferrū, vt inquit Galenus. At quod est simile humori morbifico dixe isne naturæ simile? Iāne sentis ergo (sed qui sentire potest cui furor mente eripuit?) cōmentum de quærendo remedio quod sit simile naturæ, esse vanum ægri somnium?

Ignosce si paulò seuerius in tuas animaduersiones inquisiero: Hoc iubebat lex talionis.

Cædimus, inque vicē præbemus crura sagittis.

Æquum erat, vt quā mentiendo cœperas voluptatē, eam perderes verū audiendo. Præmiū mei laboris satis amplum videbor consequutus, si hoc vnū à te impetrauero, ne deinceps in publicū exire quidquā patiaris de cerebelli tui officina, quod nō dederis pri⁹ alicui Ludimagistro emēdandū: Erudito enī lectori nauseā mouēt syllogismi & paralogismi tā frequētes.

FINIS.

Errata Sic corrigito.

pag. 33. pro, *quæ sola*, lege, *quæ solæ* pag. 73. pro *flauuum*, lege *flauum*. eadem pag. l. 21. dele, *ve*. pag. 77. pro *coniuuntus*, lege, *coniunctus*. pag. 79. pro, *remediuum*, lege, *remedium* pag. 88. pro *aliquendo*, lege *aliquando* pag 93. linea 18. dele, & pag. 107. lege, *habet à forma*. pag. 119. post, *ceruicis*, lege, *occupatus*. pag. 128. pro, *proprietates*, lege, *præparationes*. pag. 139. pro, *similiarum*, lege, *similariũ*, pag 139. pro, *informationem*, lege, *conformationem*, pag. 148. pro *vsu*, lege *vsus*, pag. 152. pro, *facie*, lege, *faciei*. pag. 170. pro, *calida*, lege, *calidæ*, pag. 173. pro, *obiiciantur*, lege, *obiiciatur*, ead. pag. pro, *inerim*, lege, *interim*. pag. 182. pro, *trimplici*, lege, *triplici* pag 184. pro, *elixatione coctũ*, lege, *elixationem coctam*. (*Vt non est motio motionis, ita neque coctio coctionis.*